hnh
160
L.S.

# PAVLI IOVII
## NOVOCOMENSIS
## EPISCOPI NVCERINI

# Elogia
## Virorum literis illuſtrium,

quotquot vel noſtra vel avorum memoria vixere.

Ex eiuſdem MVSAEO (cuius deſcriptionem vnà exhibemus) ad viuum expreſſis imaginibus exornata.

Coll: Soc. Jesu Mirand.

PETRI
PERNAE TYPOGRAPHI
BASIL.
OPERA AC STVDIO
CIↃ IↃ LXXVII.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI IVLIO, BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENſium Duci, Domino ſuo Clementiſſimo.

AD Deorum immortalium aras, vel exorandi vel deprecandi ergo acceſſuri, qui munera non habent, mentem ſaltem deuotam afferunt: qui habent, nō niſi cum mente pura eadem offerre poſſunt. Ego igitur, qui omnes in vniuerſum principes ob hoc ipſum, quòd dij ſunt, & filij excelſi omnes, ſummi illius rerū moderatoris vicarij & adminiſtri, veneror & ſuſpicio; tum verò eos cum primis, in quibus præter communes illas, & vulgares, heroicæ quædam virtutes eluceſcunt. Quorum cum nullum vnquam ferax admodum fuerit ſeculum, tum verò hocce noſtro ſeneſcentis penè mundi tempore quanto pauciores, qui cum priſcis illis virtute & eruditione conferri queant, reperiuntur principes, tanto ampliore gloria ij, qui vt ſeſe ad dei immortalis ideam, quantum quidem mortalibus datur, componerent, ſeriò ſtuduere. De Illuſtriſſ. C. T. erga Eccleſiam & Rempub. ſtudio & amore, cum æterna nominis tui fama hiſtoriarum monumenta olim teſtabuntur. Eiuſdem verò erga literatorum ordinem beneuolentiam cum pari magnificentia coniunctā nobilis illa tua, tuis nuper auſpicijs, animo ſumptuque verè regio inſtituta, confirmataq; Academia, ſatis ſuperque teſtatur. Ergo quum ditionem, quam C. T. poſſidet ampliſſimam, viuis doctiſſimorum virorū ſtatuis pluſquam dædaleis animatam ſciam: eidem quoque has Iouiani Muſæi in omni genere literarum clariſſ. virorum mutas quidem imagines, ſed ad ipſum prototypon ſumma fidè expreſſas, ex ſuburbano illo Nouocomenſe, non minoribus quàm in illud traductæ fuere ſumptibus denuo productas, omnibus omnium vel publicis vel priuatis Bibliothecis communicandas, neutiquam diſplicituras confido. Etſi enim Epictetus Stoicorum princeps nullā ſui corporis imaginem extare voluit, quòd indignum facinus eſſe duceret, corporis formæ, cùm animi ſepulcrum eſſet, poſteros inhærere, quin potius ad animi immortalis excellentiam recolendam animos traducendos putaret: fuerit tamē illi vel ad inanis gloriolæ fucum eluendum ſuus hac in re ſenſus: ſit nobis econtrà magni illius Alexandri Macedonis exemplo, etiam noſter: vt quorum ingenij monumentis Reſpub. literaria cum nominis æter-

nitate grato fruitur animo, eorundem quoque imaginibus oculi ipſi delectentur: præſertim cùm non verba modo & voces, ſed etiam ſolum aſpectum virorum magnorum, ad virtutem plurimum habere momēti, quotidiana doceant exempla. De operis inſtituto nihil hîc dici poteſt, quod non ex ipſius met Iouij Præfatione rectius intelligatur. De meo verò ſtudio hoc vnum profiteor, qui maioribus prope, quàm res mea familiaris pateretur, impenſis à nobiliſſ. pictore Iouianas imagines exprimendas curaui: ſi Illuſtriſſ. C.T. conatum huncce meum probari intellexero, cùm neque exemplum, neque ſatis magna iam, & quidem luculenta deſit materia, me Elogijs ſimul & Imaginibus, multo inſtructiorem deinceps editionem daturum. Haſce igitur deuotæ obſeruantiæ, tātę & tam illuſtri virtuti debitas, neq; vt opinor, ingratas primitias, à C.T. ſerena & benigna fronte excipi, meque inter clientes tuos vel extremos ſuſcipi, vnicè cupio atque opto. Deus ſummus Imperator Illuſtriſſ. D.T. & vitam & incolumitatem in multos prorogetannos. Baſileæ, Idibus Martij, anno Chriſtiano M. D. LXXVII

*Illuſtr. C. T.*

*deditiſſ.*

*Petrus Perna Typographus.*

# CLARISSIMI GENEROSIQVE IVVENIS, DOM. ROBERTI A' BERNEMICOVRT, BARONIS in Lieſueld, Domini Otlandiæ, pijs manibus pacem, ac quietem Ioannes Latomus.

*AN mihi præcipites etiam, Mors inuida, quæ tu*
*Vulnera feciſti, vulnera vt eſſe negem?*
*Nec mihi concedes, vt iuſto verba dolori*
*Impendam? & iuſtus qua ratione, loquar?*
*An quem tu perimis, vel aperto crimine, noſtris*
*Senſibus ereptum, carminibusq́ voles?*
*Ah, Mors, non poſſum, nec erit tua tanta Tyrannis,*
*Vt paria in viuos regna tenere velis.*
*An ne etiam gaudes (vt ſalsè es liuida) faſtum*
*Ornari lachrymis, carminibusq́ tuum?*
*Et tua tum demum iactas illuſtria facta,*
*Inſigni è luctu quum grauiora vides?*
*Vtcunque eſt: ſeu te doleat, ſeu dura, iuuabit*
*Me ſanè in lachrymis, & gemitu eſſe iuuat:*
*Et iuuat in miſeros deducere carmina queſtus,*
*Carmina cupreſſo conſpicienda nigra:*
*Et tecum miſcere elegos, miſcere querelas,*
*Et caſum generi, Schete, dolere tui.*
*Et iuuat hoc etiam, defuncti manibus illam*
*Quam poſſum vitæ ferre decenter opem.*
*Ah, non tam validis, vt quondam Epidaurius, herbis*
*Non quibus eſt medicis Phaſias vſa focis:*
*Sed cantu & numeris. vtinam vel qualibus Orpheus*
*Plutonem fregit, perdomuitq́ canem.*
*Noſtra, nec addubito, Geticam illam cauſa grauaret*
*Dignior & lachrymis, & pietate foret.*
*Illi rapta licet fuerit creſcentibus vxor*
*Annis: tu ſolo pectore adultus eras,*
*Vxor primus amor fuit, at non vltimus illi:*
*Hoc niſi, non alio tu potes igne frui.*
*Prolibus at petijt forſan ſpatia apta creandis:*
*Sed fuit in ſterileis pronior ille mareis.*
*Quo minus aſt iterum bis denis menſibus extes,*
*Si quid obeſt, oberunt hæc tua Fata, pater.*
*Ne dicam, lachrymas quòd iam deterſerat illa,*
*Caſum iterum Fati ſegnis obire noui:*
*Quid tua non luget? quid non dolet Agnia fletu*
*Exoraturos impediente ſonos?*

*Cum qua inſtauramus ſocij, quibus ille carebat:*
*Cum lachrymis blandas, turba prolixa, preces*
*Hæc ego Biſtonia canerem ſi voce, mouerem*
*Perſephonem, durum Perſephonesq́ virum.*
*Non grauis ille foret Stygias inflectere leges,*
*Et ſinere ad reditum ſtagna patêre tuum.*
*Tu neque reſpiceres: neque quòd Ioue nata timeres,*
*Ne quid Auernalis ſumpſeris antè cibi.*
*Ipſe opere inſueto gauderet nauta: nec è quo*
*Littore conſueuit cymba referre onus.*
*Hoc demum officij noſtrum exæquaret amorem,*
*Et pietas animo par feret iſta meo.*
*Quod cano ſed minus eſt: non eſt potis iſtâ mouere*
*Vena Meduſæis horrida monſtra comis.*
*Infra animum longè ſubſidit carmen: ad ima*
*Fertur vt inſuetus, dum petit alta, faber.*
*At quæ cymba minus firma eſt procurrere in altum,*
*Littora, nil probibet, per vada tuta legat.*
*Sed neque tuta lego: nam me meus ardor in æquor,*
*Altus, ingenij pro ratione, rapit.*
*Scilicet excolui doctos in imagine vultus,*
*Quos in Muſæo condidit ille ſuo,*
*Ille, inquam Iouius, cui ſcriptus piſcis, & herbæ,*
*Et tenor hiſtoriæ nomina longa dedit.*
*Quemq́ per ingenuæ laudis genus omne vagantem, &*
*Carpentem titulis optima quæque ſuis:*
*Impulit huc ſtudium pietatis, vt ora virorum,*
*Ingenij proprijs qui enituêre bonis,*
*Seu noſtra miſeri, ſeu ſunt meliore beati*
*Sorte, ſua in villa videnda daret.*
*Quam mirè extruxit victuro in nomine Comum,*
*Qua patriam Lari verberat vnda lacus.*
*Picta videnda dedit: ſed multò illuſtrius, addit*
*Ex merito laudes quando cuique ſuas.*
*Huic ego conatus noſtris ſubſcribere Muſis,*
*Carmina quæ luſi dedo dicoq́ tibi.*
*Quæ precor vt viuant, ne tu moriaris in illis,*
*Et ſubeas vitæ damna iterata tuæ.*
*Sed benè quòd mors eſt, non hîc, velut antè timenda:*
*At tineæ & blattæ, tempus & illud edax.*
*Et ſanè hæc timui: tamen & protrudimur vltra.*
*Tardenteisq́ meos ſpes rapit acris equos:*
*Tum quòd noſtræ aliquot forſan quoque pondus habebunt.*
*Quæ nullo laudes ſunt mihi felle litæ.*
*Tum mea quòd pietas in te prælustior eſſet,*
*Firmior ad longos ſi queat eſſe dies.*

*Spes eſt, quum fidæ mea vitis inhæreat vlmo,*
*Pondere quæ proprio preſſa iaceret humi.*
*Donec erunt Muſæ, donec qui diligat illas,*
*Et iam non totus barbarus orbis erit,*
*Muſæum Iouij, Iouius dicetur & ipſe,*
*Illaq; pictorem docta caterua virûm.*
*Et puto iam famam tranſiſſe Themiſtidos oram,*
*Inq; Peruranis conſenuiſſe locis.*
*Quis ſcit, ſi noſtra hæc illò vſq;, Roberte ſequantur?*
*Mancipia à Dominis non decet eſſe ſuis.*
*Quos inter medicos non ibis vt anſer olores,*
*Vt pudor Aonij, parsq; pudenda chori.*
*Sed tua te virtus, doctæq; ſcientia mentis*
*Aſſeret, illuſtri conſtituetq; loco.*
*Quem licet octaua iuuenem trieteride raptum*
*Vſum bis linguis nouit Apollo tribus.*
*Nouit & ingenij quàm multa recondita in ipſo*
*Tempore prompturus, ſi licuiſſet, erat.*
*Iudicium accedit ſoceri poſt omnia Scheti,*
*Et quaſi de rapto nunc quoq; patre dolor.*
*Nomine doctrinæ de mille ſodalibus vnum*
*Legerat ex eius ſtirpe futurus auus:*
*Nomine doctrinæ curarum dulce leuamen.*
*Ingemit, eſtq; ſui (credite) parte minor,*
*Proin ſi quid mereor, ſi factum Paule probabis*
*Sit fas hunc libro præpoſuiſſe tuo.*
*Quod quis vt inuideat: ſatis eſt hæc gloria nobis,*
*Materies morbi creſcat vt vſq; ſui.*
*Tu mea apud doctas quum carmina legeris vmbras,*
*Grata celebratis ſintq;, Roberte, viris,*
*Hæc per me Latomus vobis encomia ſcripſit,*
*Dic, & amicitiæ pignus id eſſe meæ.*
*Sic tibi det requiem, qui verſat ſortibus vrnam*
*Aeacus: & longum, care Roberte, Vale.*

1556. *Idib. Decemb.*

# AD PAVLVM IOVIVM IVNIOREM IOANNES LATOMVS.

*PAule, ſi adhuc ſuperas, Iouiani nominis hæres,*
*Ad te hæc miſſurus qualiacunq; fui.*
*Sed quia longa via eſt, inſeſſaq́; forſan ab hoſte:*
*Ah, nimium, dixi, longus hic error erit.*
*Non dare patronum, qui vindicet iſta, verebar:*
*Qui tamen è viuis hoc agat, vnus eris.*
*Nam tu, cui volui, pars es mihi magna, placere,*
*Muſæi dominum quum reor eſſe ſacri,*
*Cuius in extrema precor hæc quoq; parte locari;*
*Si tamen hoc gratum eſt: immò erit: es Iouius.*

# ELENCHVS DOCTORVM VIRORVM, QVORVM ELOGIA HOC IN Opere deſcribuntur.


A

*Egidius Cardinalis* 159
*Actius Syncerus* 149
*Albertus Magnus epiſc. Ratiſpon.* 7
*Albertus Crantzius* 221
*Albertus Pighius Campenſis* 182
*Albertus Pius Carporum princeps* 154
*Alexander Achillinus* 112
*Ambroſius Camaldulenſis* 22
*Andreas Maro* 135
*Andreas Matthæus Aquauiuius* 137
*Andreas Naugerius* 145
*Angelus Politianus* 73
*Antiochus Tibertus Cæſenas* 100
*Antonius Campanus* 39
*Antonius Galathæus* 202
*Antonius Nebriſſenſis* 121
*Antonius Panhormita* 23
*Antonius Tibaldæus* 174
*Antonius Tileſius Coſentinus* 204
*Antonius Perrenotus Atrebatenſiũ Antiſtes* 224
*Auguſtinus Iuſtinianus Genuenſis* 210
*Auguſtinus Niphus Sueſſanus* 171
*Aurelius Augurellus.* 130

B

*Baldus Peruſinus* 17
*Balthaſſar Caſtellio* 143
*Baptiſta Mantuanus Carmelita* 117
*Baptiſta pius* 187
*Bartholomæus Cocles* 106
*Bartholomæus Facius* 197
*Bartholus à Saxoferato I.C.* 15
*Beatus Rhenanus* 221
*Benedictus Iouius Nouocomenſis* 194
*Bernardinus Corius Mediolanenſis* 113
*Bernardus Bibienna* 125
*Bernardus Iuſtinianus Venetus* 200
*Beſſarion Nicænus Cardinalis* 43
*Bilibaldus Pirckheimerus Nuremberg.* 221
*Boccacius* 13

C

*Callimachus Philippus* 80
*Camillus Ghilinus Mediolanenſis* 216
*Camillus Quernus Archipoeta* 156
*Chriſtophrus Longolius* 127
*Chriſtophorus Perſona Romanus* 201
*Cælius Calcagninus* 209
*Conradus Goclenius* 221
*Copus Baſilienſis Medicus* 221
*Cornelius Scepærus* 224
*Coſmus Pactius Florentinus* 220

D

*Danthes Aldigerius* 10
*Deſcriptio Muſæi* 3
*Donatus Acciaiolus* 29
*Domitius Calderinus* 37
*Demetrius Calchondyles.* 55

E

*Eliſius Calentius* 91
*Emanuel Chryſoloras* 41
*Eraſmus Roterodamus* 175

F

*Flauius Blondus Foroliuienſis* 27
*Franciſcus Arſillus* 179
*Franciſcus Marius Grapaldus* 118
*Franciſcus Petrarcha* 12
*Franciſcus Philelphus* 30
*Franciſcus Vatablus.* 225

G

*Gabriel Altilius* 206
*Gaguinus Gallus* 213
*Galeottus Marius Narnienſis* 90
*Garcias Laſſus* 225
*Gaſpar Contarenus Cardinalis* 184
*Gaſpar Vrſinus Vindelicus* 221
*Georgius Logus* 224
*Georgius Merula* 71
*Georgius Sauromanus Germanus* 208
*Georgius Trapezuntius* 46
*Georgius Valla Placentinus* 199
*Germanicæ nationis Elogium* 221
*Germanus Brixius* 215
*Georgius Tiphernas* 201
*Guarinus Veronenſis* 197
*Guido Poſthumus Piſaurenſis* 131
*Gulielmus Budæus* 179
*Gulielmus Pellicerus.* 225

H

*Hector Boethus* 212
*Henricus Cornelius Agrippa* 186
*Hercules Strozza* 103
*Hermolaus Barbarus* 69
*Hieronymus Aleander* 181
*Hieronymus Donatus* 214


Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Hieronymus Sauonarola. 82

I

Iacobus Angelus Florentinus 212
Iacobus Bracelius Ligur 199
Iacobus Cardinalis Papienſis 35
Iacobus Faber Stapulenſis 203
Iacobus Sanazarius 149
Iacobus Zieglerus 214
Iacobus Tuſanus 225
Ianus Parrhaſius 208
Iaſon Maynus 125
Imaginum ordines 5
Ioachimus Camerarius 221
Ioachimus Perionius 225
Ioachimus Vadianus ex S. Gallo 221
Ioannes Pannonius 224
Ioannes Argyropylus 50
Ioannes Cotta 107
Ioannes Cuſpinianus Viennenſis 221
Ioannes Dantiſcus Varmienſis epiſcopus 223
Ioannes Franciſcus Picus Mirandula 160
Ioannes Laſcares 59
Ioannes Manardus Ferrarienſis Medicus 125
Ioannes Marius Catanæus 147
Ioannes Picus Mirandula 76
Ioannes Regiomontanus 218
Ioannes Reuclinus Germanus 217
Ioannes Ruellius Sueßionenſis Medicus 173
Ioannes Scotus 9
Ioannes Sepulueda Cordubenſis 225
Ioannes Simoneta 200
Ioannes Tortelius 196
Ioannes Bellaius 225
Iouianus Pontanus 94
Ioannes Oecolampadius. 221

L

Lampridius 182
Lancinus Curtius 116
Lazarus Baiphius 225
Laurentius Laurentianus 99
Laurentius Medices 65
Laurentius Valla 25
Leo Baptiſta Albertus 63
Leonardus Aretinus 19
Leonicus Tomæus 170
Ludouicus Arioſtus 157
Ludouicus Cælius Rhodiginus 203
Ludouicus Viues Valentinus. 218

M

Maphæus Vegius Laudenſis 196
Marcellus Virgilius Florentinus 207
Marcus Antonius Caſanoua 143
Marcus Antonius Coccius Sabellicus 98
Marcus Antonius Turrianus Veronenſis 114
Marcus Muſurus Cretenſis 57
Marinus Becichemus Scodrenſis 214
Marius Molſa 191
Marſilius Ficinus 84
Martinus Cromerus 223
Martinus Silicæus epiſcopus Cartag. 226
Matthæus Palmerius Florentinus 211
Michael Marullus Tarchaniota. 53
Michael Syluius Cardinalis 226
Muſæi deſcriptio. 3

N

Nicolaus Leonicenus Medicus 132
Nicolaus Borbonius 225
Nicolaus Copernicus 221
Nicolaus Machiauellus. 162
Nicolaus Perottus 32
Nicolaus Tegrimus. 215

O

Ordines imaginum 5
Otho Truchſes Cardinalis 223

P

Pandulphus Collenucius 92
Paulus Aemilius Veronenſis 215
Petrus Alcyonius 205
Petrus Candidus December 28
Petrus Crinitus 108
Petrus Grauina. 138
Petrus Leonius 67
Petrus Martyr Angleria 206
Petrus Nannius Alcmarianus 224
Petrus Paulus Vergerius 198
Petrus Pomponatius 134
Philippus Beroaldus 102
Philippus Decius 164
Philippus Moræus 224
Platina 34
Pogius Florentinus 21
Polydorus Virgilius 213
Pomponius Gauricus 140
Pomponius Lætus. 78

R

Raphael Volaterranus 202
Robertus Valturius 211
Rodulphus Agricola Friſius 61
Roffenſis Cardinalis 168
Rutilius. 178

S

Salmonius Macrinus. 225

T

Theodorus Gaza 48
Thomas Aquinas 8
Thomas Linacrus Britannus. 119
Thomas Morus Britannus 166
Thomas Nadaſtus 224
Tranquillus Andronicus. 224

V

Vdalricus Zaſius. 221

Z

Zuinglius 221

FINIS.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

## HONORATI FASITELLI.

*NAE debent Iouio viri eleganteis*
*Bonis artibus omnibus politi:*
*Næ debent Iouio elegantiarum*
*Parenti, artibus omnibus polito,*
*Quantum vix animus capeſſat vllus:*
*Nec viui modò, qui vident, amantq́;*
*Vrbani ſenis & ſalem, & lepôres:*
*Sed quos lumine adempto auarus Orcus,*
*Quis ſcit, quo cohibet loco miſellos?*
*Nam facit Iouius ſuis tabellis*
*Excultis lepido ſuo labore*
*Leti funera non timere viuos,*
*Vitam viuere mortuos perennem.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# IN EFFIGIEM PAVLI IOVII.

*Cuius ope æternum vultusq; animusq; virorum*
*Doctorum ſupereſt, talis erat* IOVIVS.
*B. V. B.*



## IN ICONES ET ELOGIA DOctorum virorum.

*HVmanis oculis cerni virtutis imago*
*Si poſſet, miro illa ſui inflammaret amore*
*Pectora: nunc, homines animis quorum illa reſedit*
*Mirandos orbi vt cæleſtia numina reddit.*
*Sæpe ſed illorum vultus ſpacia ampla locorum*
*Eripiunt oculis, aut mors fluxo eximit æuo.*
*At virtutis amans ſimul & virtutis amantum*
*Huius in his viuam effigiem, ipſorumq; tueri*
*Dat* IOVIVS *tabulis expreſſa fidelibus ora*
*Et coram & quocunq; loco, haud obnoxia morti.*
*Quid maius præſtari humana poſsit ab arte?*
*Quis* IOVIVM *certare Ioui non dixerit ipſi?*

BONAVENTVRÆ VVLCANII BRVGENSIS.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# PAVLI IOVII NOVO-COMENSIS EPISCOPI NVCERINI

## IMAGINES CLARORVM AC DOCTO-*rum virorum ad Octauium Farneſium Vrbis præfectum.*

PERILLVSTRI quidem exemplo, & verè more maiorum facis Octaui Farneſi Princeps iuuentutis, qui ſocero Cæſari ſingularis diligentiæ, inuictæque virtutis imperatori armatus comes, vel in tanto caſtrorum fremitu, incerta dubij ocij momenta Muſis impertis: hac enim imitatione pernobili, non modò C. Cæſaris, qui vnus ſummi iudicij, ſummæque virtutis faſtigium tenuit, ſed Antonij, Bruti, Catonis, Octauij memoria recolitur. Quando hi, quod legimus, tui ſanguinis, vereque Romani Heroes, vel paludati & canente claſſico nunquam literarum ſtudia remiſerint. Quo fit, vt hanc excelſi generoſique ingenij indolem, quam nō adulanter admirari licet, tibi magnoperè gratulemur: quum è Belgis iucundiore quadam epiſtola, quæ non in caſtris cū peracri Gallo hoſte collatis, ſed in præpingui ocio perſcripta videri poſſit, vltimam hiſtoriarum mearum partem efflagites: repetasque item vehementer tanquam promiſſam, & gerendo bello Gallico valdè opportunam, Argentoni viri grauiſſimi hiſtoriam, quam mihi nuper expetenti Nicolaus Rentius, vetus ac humaniſſimus amicus meus è Gallica lingua in Italicam caſta fide traduxit. Ante omnia verò, tanquam eruditæ iucunditatis munus deſideras clarorum virorum imagines, quæ in Muſæo noſtro ad Larium ſpectantur, & eas quidem per Elogia, quod niſi longo, difficilique labore paruis in tabellis aſſimilanter expingi nequeant, ſcilicet, vt tantorum ingeniorum dotes admirabili varietate ſtylo deſcriptæ elegantiores oblectamenti nomine ad animi iudicium tranſmittantur. multo enim grauius pulchriusque videtur, ingentium animorum virtutes proprijs annotatas Elogijs ad admiratione̅ intueri, quàm ductas ex vero diligenter effigies, inani quanquam, iucunda oculis voluptate ſpectauiſſe. Verùm & obiter quoque requiris, quod nequaquam, ſaluo pudore, & integra fide præſtari poſſe videtur, vt Muſæum iucundè graphiceque deſcribam, poſtquam id tibi ſecus, ac maximè cupiebas, properante Cæſare, adire, ſpectareque non licuit. Parebo itaque lubenter honeſta petenti, ſed egregia fide debitum profeſſo, aliquid mihi benignè condonandum exiſtimo, ſcilicet, vt per partes huius æris a-

lieni graue onus commodiſſimè diſſoluatur. Tu verò ſingulari humanitate iuuenis, facilè hoc dederis iam planè ſeni ægroque pedibus, ac his præſertim intempeſtiuis caloribus circumuento, quos nobis longè maximos ab æſtuoſo Buxeto, dum Cæſar belli quàm pacis auidior, ad algidas Germaniæ Alpes properaret, in multo & puluerulento itinere ſubeundos reliquiſtis. Mitto igitur ante omnia libellum, dulci breuitate periucundum, quo Elogia tabulis pictis ſuppoſita continentur. E ſingulis enim imaginibus, ſingulæ exemptiles tabellę dependent in membrana, vitæ atque operum ſummam præferentes. Argentonus autem, qui Veneto pręlo excuditur, totius Italię ciuitate donatus ad te; ac ideo libenter, quòd ad Belgas ſuos redit, poſt paucos dies perueniet. Quod verò ad hiſtorias meas pertinet, eas nequaquam tutò tabellarijs committi poſſe putauerim, ne interceptæ quorundam animos offendant. Nunquam enim vel æquiſſimus rerum geſtarum ſcriptor victis pariter atque victoribus ſatisfecit, quo minus vtrinq; gratiam ſuam extenuet, vel odium quęrat, quod eum facilè ſit factioſa, ſuperbaque iudicia ſubire, qui inter viuos libero ore locutus, tanquam poſteris gratum facturus, non procul ab inuidia Fortunę ludos perſcribit.

VALE

MVSAEI

# MVSAEI IOVIANI DESCRIPTIO.

*PVBLICATIS ac in Muſæo tanquam auguſto Virtutis templo dedicatis clarorum virorum tabulis, illæ ipſæ veluti ſpirantes imagines æquiſſimo iure depoſcunt, vt Muſæum quoque ſua ſacrata ſedes eodem conditoris ſtylo deſcribatur: ſed id vetat ingenuus pudor, qui tamen eruditis ſubruſticus videtur. Quis enim vanitate ingenij non præclarè ſtultus & ineptus eſt, qui quum ſua miretur, ea demum pluris æſtimet quã aliena? At is hercle multo ſtolidior euaſerit, qui ſeuerè parceq; narrando, conſilij atque operis ſui dignitatem eleuet, vt modeſtiæ laudem ferat: ille porrò inſanus poterit videri, qui dum ſibi tenerius blandiendum exiſtimat, certos veritatis fines ambitioſis exceſſibus perturbet. Sed ego, ſi Muſis hoſpitibus placet, aureæ mediocritatis modum tenebo, vt has ſuburbani, literatiq; ocij delitias ita exprimam, vt inuidiam eorum iudicio, qui hæc viderint, facilè deuitẽ, indeq; mihi ſecurior ac vberior voluptas obueniat: quando & hæc omnia Donius Etruſcus vates miſcellaneo opere edito, ac ob id incolumi pudore meo diſertiſſimè decantarit. Neque enim cum nihil maius, & ſupra fortunam meam luculentius exprimi velim, vel adulantibus adeò verecundè ſubiraſcor, vt diſpudeat læta fronte confiteri, id eſſe Muſæum, quod elegantes, clariq; hoſpites ſæpius inuiſunt, perpetuò ciues frequentant, ipſeq; ante alios Alfonſus Daualus vtranque lauream meritus, & præclarus inchoati abſolutiq; operis adiutor, omnibus æſtiuis ſeceſſibus anteponit. Villa eſt in conſpectu vrbis peninſulæ modo in ſubiectum circumfuſi Larij pelagus exporrecta: nam ad ſeptentrionem quadrata fronte, directiſq; lateribus in altum excurrit, arenoſo puróque in littore, ob idq; maximè ſalubri, in ipſis Plinianæ villæ veſtigijs excitata. hoc enim præclaro religioſæ vetuſtatis teſtimonio plurimum augetur ædificij decus, ac plena gloriæ, ac admirationis authoritas paratur. Iuuit herclè longo obrutam ſitu, & penitus iacentem in patria clariſſimi ciuis memoriam, non ignobili ſtudio, & digna pietate ſuſcitaſſe. Manet adhuc ſtabili naturæ munere lætiſſima loci facies, ac æterna præcellentis ſtructuræ fundamenta extant: quanquam abſolutis operibus, & tempus edax, & Larius ipſe, vel ſubitis incrementis admirabilis, potius quàm ſæuus, dum perpetuò allidit, & fluctibus pulſat, vehementer inuiderint. Viſuntur in profundo vado, quum lacus molli & vitreo æquore ſtratus, & liquidus conquieſcit, quadrata marmora, ingentes columnarum trunci, deuorataq; pyramides, quibus antè portum lunatæ molis fauces ornabantur. Ab Oriente enim totius ædificij obiectu, & producta in cubitum lapidea mole aduerſus Aquilones tranquillus portus efficitur, duplici quidem, & decenti podio coronatus: alterum è cauædij porta effuſos ſpectanteſq; marmoreis ſedibus excipit, quum applicantes ab vrbe amicorum nauiculæ ſalutantur: alterum ob longam areæ marginem, quæ portui imminet, pectore tenus exornat. In hoc ſiquidem latà area deſinit, binis incluſa viridarijs, muriſq; pinnatis, quæ hippodromi, ſpeciem præbet. Ad dextram medio lacu inſula exurgit, firmiſſimo pariete circumſepta, iucundaq; eminentibus pomiferis arboribus: hæc auſtri flatus arcet, & portum obducto latere protegit: à continente dirimitur Euripo, quem Plinius viridem & gemmeum, nihil adulatione mentitus, appellabat. Hunc prææalto ponte, vt nauigia inclinatis malis permeent, iungere cogitamus, ſi parta pace miſeriarum finis oſtendatur, vt ſi lubet, vel inuito Neptuno, ad inſtitutam piſcinam tranſire liceat. Illi enim ab alto laſciuè prouecti piſces, ac in inſulam per oblata, & cæcis anfractibus inſidioſa foramina penetrantes, erepto reditu tanquam latis carceribus aſſeruantur, vt duris tempeſtatibus excluſa piſcatio nihil expetitum dubijs men-*

ſis eripiat. Ab ipſo quoque inſulæ aduerſo latere, illa immortalis virgo abdita intus, quæ Dorica vocatur Echo, excitantibus quum læto clamore ſalutatur, celeri liberalíque obſequio ſemper reſpondet: eam duplicatas reddit voces, ac hiſdem accentibus recantat, & tum quidem ex hoc inani, ſed dulci loco blandiſsima capitur voluptas, cum circumuehimur cymbis, natantéſque pueros ad certamen adhortamur argenteolosq; nummos audaciæ præmia vrinantibus in alto diſpergimus. Altera porrò ad occaſum area, minor quidem, ſed liberiore cæli facie, & multa oculis occurrentium montium varietate iucundior, quàm nominis veſtri merito Farneſiam vocamus, matutinis opaca vmbris ita pateſcit, vt ſub podio tutam ab Euris ſtationem relinquat, ſinuoſosq; Larij receſſus, ac oppida apricis promontorijs impoſita, innumerabiles item villas, & veliferas commeantium claſſes longiſsimè proſpectet. At hi à læua dextraq; diuerſi portus, quod opportunè decenterq; euenit, toto interiacentis Iſthmi ſpacio coniunguntur: ſic vt non abſurda bimaris Corinthi ſimilitudine, dum iocamur, huc tanquam ab Aegeo Cenchræum illum à Ionio Lechæũ vocitemus: nam quà terreſtris aditus ad villam patet, Iſthmus binis ingentibus munitus portis, oblongo tractu totius ædificij frontem æquatè complet, & exornat, dignumq; prorſus primaria ianua & perpicto atrio veſtibulum præbet. hinc aliæ atq; aliæ ex oppoſito aperiuntur valuæ, quæ rectiſsimo tranſitu, & valde grata introſpectantibus ſerie per concamerates topiario opere Iulianas vites, ad hortos & ſyluoſos montes ducunt. Ab his per fictiles tubulos ſalientes aquæ perennem & limpidiſſ.mum fontem duximus in Doricam porticum, magno quidem labore, & reluctante ſæpe Nympha, quòd ea tanquam ex Orcadibus egregiè ſylueſtris, opaci & ſilentis ocij cupida, hæc tecta frequentia, occurſumq; hominum timidiſsimè deuitaret, nunc effecta blandior ſponte aſcendit in ſtatuã Deæ naturæ erectam, & per papillas erumpit, vt in marmoreum labrum effundatur. Hoc vno pulcherrimo fonte mirè gaudet Muſæum: inde enim ad ſummum apicem florentis elegantiæ peruenit: nã interiora conclauia porticus, diætas, æſtiua hybernaq; cubicula inſtauraſſe multò luculentius, eximijsq; picturis nobilius exornaſſe, quiuis alius opibus, ingenioq; validior facilè potuit: nos autem loci genium ſecuti, ardenti quidem ſtudio, ſed dubia ſpe abſoluendi operis, ita per partes ædificauimus, vt ſæpè ſera pœnitentia de Fortunæ liberalitate deſperaſse videamur. Sed qui villas à beatioribus & Regulis, ac ideo ſupra ciuilis fortunæ cenſum, magnificè ædificatas non viderunt, aut benigniore iudicio non inſulſi operis elegantiam, parum eruditis ſumptibus anteponunt: facilè mirantur primam porticum ab hilari atrio ſtatim occurrentem, quam à picturæ argumento Perſonatam vocamus, quòd priſco more hiantes Comœdorum perſonas per intercolumnia volitantibus ſuſpenſas ſtrophijs: dum oculos moratur & detinet, intrantibus oſtendat: nam inauratæ perſonæ elegantioris vitæ præcepta, Laconicæ breuitatis effundere videntur. Hanc hyeme tepor eximius commendat: nam totam collectis radijs plurimus Sol implet: quum ad meridiem pertendens? æſtiuam (quam Doricam diximus) adeò celeriter relinquat, vt prandere ſimul, ac cœnare propter fontem ſpumoſo ſtrepitu ſonantem opaciſsimo loco poſsis, niſi te Apollo vates, nouémque ſorores in illud ſpacioſum perilluſtreq; conclaue, à quo tota illa villa Muſæi nomen accepit, blandientes alliciant. Hoc enim pluribus vndique feneſtris ac ianuis circumuectum Solem, exortáſque eodem curſu perennes auras, aut admittit, aut quum lubet, obductis valuis excludit. In medio enim omnibus horis æquatæ ſpirant auræ, adeò moderato & ſalubri ſpiritu, vt Syrium in cœlo ardere non ſentias, ob idq; damnatos menſes, tanquam verna temperie mitigatos, nõdum veniſſe, aut certè ſilenter effluxiſſe, quum nec æſtues, nec planè ſitias, prorſus exiſtimes. Tota enim villa ante meridiem, quum ex alto Sol vrget, obortis Aeteſiis blandiſsimè ventilatur. In fronte quoque ſolium ab inſigni proiectura clatris ferreis circumſeptum, in ſubiectas vndas prominet, quo nihil ad proſpectum iucundius excogitari poteſt. Inde enim ad proiectam eſcam allectos

piſces

*piſces hamata linea extrahere iuuat, & cum ſingulari voluptate innumeras natātium acies intueri. Nam Larius ipſe argenteo nitore translucidus, dum colores & ſpecies piſcium ad oculos tranſmittit, ſpectantibus arridet. Introrſus autem Apollo citharædus, & Muſæ ſuis inſtructæ organis, cœnantibus applaudunt. Inuitat exinde loci mutatione gaudentes in proximum cubiculum ſuum Minerua, vbi priſcorum ciuium ſimulachra viſuntur, vtriuſque ante alios Plinij, antiquiorisq; Cæcilij & Rufi Caninij poetarum, Attilij item grammatici & Fabati, Neronis odio inſignis. Mineruæ autem iuncta eſt bibliotheca, parua quidem, ſed lectiſſimis referta libris, à depicta imagine Mercurio dicata. Ab hoc demum itur ad Sirenas, id eſt cubiculum aliquantò retractius, tanquam honeſtæ tributum voluptati, ac inde ad armamentarium, quod iuxta atrium, iure ipſo, inuicti Cæſaris Caroli auguſta inſignia tuentur. Cæterùm maximo conclaui adiuncta eſt nobilis illa cœnatio tribus Gratijs meritò conſecrata, quæ florido laqueari, minoribusq; ſeptem Doricis columnis, & facetiſſimo picturæ genere mirabiliter adornatur, quum peritus optices pictor periſtylij fugientis receſſus, ex obliquo deceptis oculis expreſſerit. Hinc quoque vrbs ipſa penè tota conſpicitur, & Larius peramœnis meandris ad Germaniam reflexus, frequentiq; olea & lauro virentia litora, vitiferi colles, & nemoroſa aut læta paſcuis naſcentium Alpium iuga, nec plauſtris quidem ardua deſpectantur. quocunque te veteris, noua atque hilaris loci facies occurret, quæ oculos reficiat, nec vnquam exatiet. Sed tum opima plenioráq; voluptas oſtenditur, quum ad piſcantes, extremaq; trahentes retia nauiculis aduolamus, ac incertæ ſortis iactum mercari lubet, & capturæ piſcium intentis manibus & oculis intereſſe percupimus. Quid dicam de ſuperioribus cænaculis, in queis de nomine virtutis, ac honoris argumenta lepidiſſimis inſcriptionibus oſtenduntur? His hyeme nihil apricius, luminoſius, atq; tepidius experiri, videreq; contingit, quum toto ferè ambitu per varias feneſtras, vitreis ſpecularibus admittant ſoles, & ſine fæce diem: et Larius ipſe, vtpote qui nuſquam gelaſcit, maritimi litoris naturam æmulatus, mirum temporem præbet, duriciemq; hyemis ſuauiter frangit. Interior autem villa, quod magnoperè Muſis expetitur, ſtrepitu vacua, & alti plena ſilentij, nitidaq; munditijs ad ſecretiora ſtudia, vel feſtiuis luſibus occupatum comiter inuitant. Nam (vt diximus) dirimente Iſthmo, tanquam in aliam minorem domum, & equilia hippodromo coniuncta, & penuarias cellas, & culinæ totiusq; familiæ tumultum penitus excludit, aureæ profectò quietis beata ſedes, ac exoptatæ potius quàm conceſſæ libertatis tranquillus & ſalubris portus, ita vt hæc nobis Alexander frater tuus, idem maximus Cardinalis, & gratiſſimus Mecœnas, in æſtuoſa Roma publicis muneribus occupatus, inuidere poſſit.*

## ORDINES IMAGINVM.

*IMagines veros clarorum virorum vultus in tabulis pictis exprimentes, quas pertinaci multorum annorum ſtudio, ſumptuoſaq;, ac ob id propè inſana curioſitate, toto ferè terrarum orbe perquiſitas in Muſæo dedicauimus, quatuor omnino claſſibus diſtinguuntur.*

*Prima eorum eſt qui fato functi, quum ingenij fœcunditate floruerint, felicium operum monumenta poſteris reliquerunt. Horum elogia primus hic liber, Octaui Farneſi, nomini tuo dicatus continet, eo quidem ordine diligenter ſeruato, vt ad exactam temporis rationem qui primò vita exceſſerint, ſubſequentes antecedant. Nulla enim alia ordinis nobilitas quæretur, niſi quæ fatali vitæ exitu præſcribetur. Hac enim ſaluberrima lege totam litem, quæ de loco dignitateq; ambitioſè & turbulenter excitari poſſit, pacatis omnibus ſuſtulimus.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Secunda claſsis horum erit, qui hodie viuunt, & publicatis ingenij dotibus, illuſtri fama, tanquam certiſsimo vigiliarum fructu perfruuntur. Sed horum Elogia accuratiore demum ſtudio proferemus, quum mollioris ocij locus parato & cupienti benigna ſeculi ſorte concedetur. Religioſa enim grauioris cenſuræ trutina viuentium laus expendenda videtur, ne amicitia, quæ mihi cum literis integerrima ſemper fuit, & hic ipſe, quo ſemper lætiſsimè viximus perſpicuæ voluntatis candor, recti iudicij elidat neruos, laudandiq; pariter, & notandi libertatem eripiat. Quis enim ſummæ felicitatis ingenia ſatis laudauerit, aut non inſulsè notauerit, quum iam prouiſa nominis æternitate, omnem inuidiam ſuperarint? & quod non diſpudeat ad elimandum æquiſsimus locus diligentiæ relinquatur. In his recitandis, ab ætatis honore ſeries ducetur, quum iuniores æquiſsimo iure, natu maioribus honeſtiſsimum locum concedant.*

*Tertia porrò claſsis præcellentium operum artifices excipiet. Hæc periucundo libello explicabitur, quum præter picturæ, cælaturæq; decus, ex certis nobilium artificum monumentis demonſtratum, facetiſsimorum etiam hominum, qui dictis aut ſcriptis excitato riſu, ægrorum animorum curas alleuarint, memoria renouetur.*

*Quarta erit maximorum Pontificum, Regum & Ducum, qui pace & bello gloriam conſecuti, præclara ingentium facinorum exempla imitanda, aut vitanda poſteris tradiderunt.*

*Harum imaginum populus ſtupenda varietate mirabilis, tum maximè incredibilem ſpectantibus afferet voluptatem, quum per Elogia ſigillatim arguta breuitate deſcribetur.*

**FINIS.**



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Albertus Magnus.



SIT hoc tibi, quanquam breue Elogiorum omnium merito luculentiſsimum Alberte Sueue, Artobrigenſium ſanctiſsime antiſtes, poſtquam docendo ſcribendoque Theologiæ philoſophięque totius locos omnes miris celſiſsimi ingenij tui luminib. illuſtrati, vt illud in literis nemini adhuc conceſſum, et quod viuo rara felicitate contigit, Magni cognomen aſſequerêre. Vixiſti quippe cęteris aliquantò beatius, hoc eſt, alterum & octogeſimum ætatis annum: ſcilicet, vt immortalitati tuæ iuſta gloria plenius intereſſes, accumulatoque ſœcundiſſimi ingenij merito, clarioris tituli munere dignus cenſerêre. Deferebat enim Maximi cognomentum Gymnaſiorum omnium conſenſus, niſi publico voto, Chriſtiana verecundia reſtitiſſes. Sed quid tibi maius Dij immortales dare potuerunt, quàm vt diu in terris viuus & incolumis, inuſitatę, nec vnquam, niſi poſt fata obuenientis gloriæ fructum perciperes?



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Ferdinandi Balamij.

*Magna parens altrix'que virûm Germania alumni*
*Incedit meritò laude ſuperba ſui.*
*Naturæ ac rerum vires, cauſas'que latentes,*
*Hoc nemo nobis doctius explicuit.*
*Magnus ob egregias fœcundi pectoris artes,*
*Dictus es, at Iouij nunc ope maior eris.*

Iani Vitalis.

*Natura has violas, ratio hæc tibi lilia paſsim*
*Ad tumulum ſpargunt, Theutone magne tuum,*
*Purpureis quarum tribulos auellis ab hortis,*
*Et pulchris violis lilia miſta ſeris,*
*Auia'que abſtruſæ pandis penetralia cauſæ,*
*Verè igitur Magni nomine dignus eras.*

Latomi.

*Quantum erat, hoc quondam cognomen, Magne, tuliſſe*
*Quum ſolidè doctus nullus in orbe foret?*
*Esto: vetuſtatis factum laudatq́, probatq́,*
*Et tibi poſteritas ſancit, habet'que ratum.*

# Thomas Aquinas.

DIVI Thomę Aquinatis hęc erat facies, cum in primis ſtudiorum honoribus decoræ iuuentæ hilaris verſaretur. Nondum enim vt poſtea inflexu ætatis euenit, illa ſubtriſtis ac omni alia ferè durior parciſsimæ menſæ diſciplina, iugesque demum lucubrationum vigiliæ, nobile, ac ideo tenerum corpus afflixerant. Hic enim planè adoleſcens, abdicata antiquæ ſtirpis præclara nobilitate, ad quam hodie Alfonſus Daualus inter Cæſaris duces longè clariſsimus, maternum genus refert, & ſpreto demum omni patrimonio, neque familiæ dignitati, neque valetudini vnquam pepercit, vt poſt edita diuini ingenij monumenta in cœlũ, vnde venerat, vitæ integer euolaret. Idcirco defunctum in Volſcis ad Amaſenum amnem, quum ſupra naturæ poteſtatem multa miracula operum ab eo edita renuntiarentur, Ioannes Romanus Pontifex, ex Senatuſconſulto non dubitauit, quin eum ſolenni cærimonia inter diuos referret. Obijt non planè ſenex, quum eum humanæ gloriæ, quæ ei ex ſtudijs maxima obuenerat, ſatietas cepiſſet, ſcilicet vt alteram, qua abſoluta pietate promerebat, cœlum ſuſpiciens, certiore voto ſequeretur.

Incerti.

*Hic Thomæ cineres poſiti: cui Fata dedêre*
*Ingenium terris viuere, cœlo animam.*

Latomi.

*Doctior, an dicam vixiſti purior? atqui*
*Vixiſti quo non tempore debueras.*

*Ingentium*

*Ingenium, ſterili quod tunc defloruit æuo,*
*Hoc natum cœlo ſi meliore foret,*
*Fallor, vel poterat paraſangis vincere multis,*
*Quotquot ab exculta pectoris arte vigent.*

# Ioannes Scotus.

NEMO eorum qui non inſano Chriſtianæ pietatis amore flagrantes, vltro ſeſe cœnobijs in ſeruitutem addixerint, Ioanne Scoto in grauiſsimis ſtudijs, aut acrior, aut ſubtilior fuit, quum admirandis commentationum voluminibus editis, nouam de nomine ſuo ſectam conderet, & in Aquinatis ſcripta non diſsimulanter inueheretur. Natus eſt in vltima Britannia, ad Calydoniam ſyluam, vt minus mirum ſit, Anacharſin ſummæ ſapientiæ philoſophum apud vecordiſsimos Scythas, craſſo, atque ingenijs excolendis importuno cœlo patriam habuiſſe. Verùm hic proteruo, captioſoque diſſerendi genere Chriſtianis dogmatibus illuſiſſe videtur, quum paſsim inducta quæſtione dubitabundus, ſacrarum rerum fidem, nequaquam tenui figmentorum caligine confudiſſet. Seuit enim ideò lites immortales, quando eius placita, vel grauiter ab aduerſæ ſectæ profeſſoribus oppugnata, ex aduerſo ab eius diſcipulis acerrimè defendantur. Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia, ad optimam frugem nata, diſtorto ſcilicet ad veritatem itinere ſuſpendiſſe, perdidiſſeque videtur, manifeſti, aut certè occulti alicuius criminis apoplexia correptus, pœnas perſoluit: ita quidem, vt nimis feſtinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita, ſerò morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra ad petendam opem miſerabili mugitu edito, pulſatoque diu ſepulchri lapide, eliſo tandem capite perierit. & de alio quoque Ioanne Scoto, quod ex Gallicis Annalibus Crinitus recitat, verum eſſe crediderim, eum à coniuratis diſcipulis, diui Caſsiani exemplo, graphijs confoſſum, inulta morte concidiſſe.

### Iani Vitalis.

*Quod nulli vnquam hominum accidit, Viator,*
*Hic Scotus iaceo ſemel ſepultus,*
*Et bis mortuus, omnibus ſophiſtis*
*Argutus magis, atque captioſus.*

### Latomi.

*Quæcunque humani fuerant, iuriſque ſacrati,*
*In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.*
*Quid? quod & in dubium illius ſit vita vocata,*
*Morte illum ſimili ludificante ſtropha?*
*Quum non antè virum vita iugularit adempta,*
*Quàm viuus tumulo conditus ille foret.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Danthes.



PRIMVS Italorum Danthes Aldigerius, non inſtituto vetuſtatis ordine tantùm, ſed præcellenti grauis ingenij fœcunditate primum locum inter imagines meritus, optimo iure conſpicitur. Hunc Florentia, factioſa eo ſeculo ciuitas protulit, ab altaq; mentis indole cognitum Octouirali ſupremæ poteſtatis Magiſtratu inſignem fecit: vt mox fatali conuerſa turbine & ſummum ciuem, & Etruſcæ linguæ conditorem, tanquam ſæua & ingrata patria proſcriberet. Sed exilium, vel toto Etruriæ principatu ei maius, & glorioſius fuit, quũ illam ſub amara cogitatione excitatam, occulti, diuinique ingenij vim exacuerit, & inflammarit. Enata ſiquidem eſt in exilio comœdia triplex Platonicæ eruditionis lumine perilluſtris, vt abdicata patria totius Italiæ ciuitate donaretur. Plenus ideo gloria perenni, quum eam quæ pijs mortalibus expetitur, cœleſtis auræ felicitatem tanto ore, tantoque ſpiritu decantatam contemplaretur, nulla

ad-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

adhuc oborta canitie Rauennæ morbo interijt, adeò mentis compos, vt ſex verſus ſepulchro incidendos componeret. Nec Rauennates in apparatu funeris publico totius Italię ciui defuerunt. Quum enim ſepulchrum è marmore condidiſſent, non obſcurè exprobrata Etruſcis acerbitate, nouam ſibi claritatem glorioſa pietate vendicarunt.

Ipſius Danthis.

*Iura Monarchiæ, Superos, Phlegetontâ, lacuſquê*
*Luſtrando cecini, voluerunt Fata quouſque.*
*Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris,*
*Actoremque ſuum petijt felicior aſtris*
*Hic claudor Danthes patrijs extorris ab oris,*
*Quem genuit parui Florentia mater amoris.*

Sed tumulum vetuſtate collabētem, Bernardus Bembus, Petri Bembi Cardinalis pater, in ea vrbe Prætor, opére cælato & concamerato, additoque hoc epigrammate luculenter exornauit.

*Exigua tumuli Danthes hîc ſorte iacebas,*
*Squallenti nulli cognite penè ſitu.*
*At nunc marmoreo ſubnixus conderis arcu,*
*Omnibus & cultu ſplendidiore nites,*
*Nimirum Bembus Muſis incenſus Etruſcis*
*Hoc tibi, quem in primis hæ coluêre, dedit.*

Latomi.

*Maior ab exilio parta eſt tibi gloria, quàm ſi*
*Non eſſes patriam vertere iuſſus humum.*
*Ingenio ſiquidem ſtimulos dolor addidit, & te*
*Fecit ad ignotos condere verba modos,*
*Vt modò non certent de te tantùm oppida ſeptem,*
*Italia affirmet tota ſed, eſſe ſuum.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Franciſcus Petrarcha.



FRANCISCVS Petrarcha eodem ciue magiſtroque ſuo Danthe, Etruſcæ linguæ facultatem conſtitutam planè & certis adornatam numeris flagranter excepit, tanta ingenij ſolertia, duriora molliendo, & ſingulari ſuauitate varijs modis flectendo numeros, vt enatam dudum, & vix dum flores oſtendentem eloquentiam, ingenti cultura, ad abſolutæ maturitatis fructum, ſummúmque ideo exactæ elegantiæ faſtigium perduxerit: eamq; laudem ſit conſecutus, vt in eo poeſis genere, amatorioq; præſertim, caſtitate, candore, dulcedine, nobilium poetarum, & primus & vltimus ſanis à ſcribendo deterritis exiſtimetur. Sed tanti viri iudicium illudens fortuna grauiter fefellit, quum hæc æternæ felicitatis ſpiritum habitura, tanquam temporaria deſpiceret, vt ex Latina Africa, vnde ei in Capitolio inſignis laurea præmium fuit: certiorem, et nobiliorem gloriam adſequeretur.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſequeretur. Sed debeamus plurimum ingenuo ſudore ſemper æſtuanti, dum literas à multo æuo miſerè ſepultas è Gothicis ſepulchris excitaret, modò eum tanquam Italicæ linguæ conditorem & principem, ab incomparabili diuini ingenij virtute veneremur. Conceſsit naturæ planè ſenex ad Arquatum Patauini agri vicum, vbi tumulus carmine ab ſe compoſito nobilis conſpicitur.

*Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarchæ,*
*Suſcipe Virgo parens animam, ſate Virgine parce,*
*Feſſaque iam terris, cœli requieſcat in arce.*

Latomi.

*Qui tanta Etruſci carminis dulcedine,*
*Tamque æſtuoſis vexeris præconijs*
*Tuam puellam, vt nemo te non crederet*
*Flagrare, quantis nec vel Æthna incendijs,*
*Atqui idem amoris frigidus neglexeris,*
*Quem ſpectat omnis amans, vel in tenebris ſcopum:*
*Amaſſe Lauram, an Lauream te dixerim?*

# Boccacius.

BOCCACIVS, eodem felici ſeculo quo renatæ literæ Latinę exiſtimantur, Certaldo oppido editus, alteram in patria lingua pedeſtris eloquentiæ partem primus inchoauit, & abſoluit. Neglexerat eam Danthes in altitudinem Heroicæ comœdiæ diuino furore carminum abreptus. Petrarcha verò Latina oratione delectatus tanquam ignobilem reliquerat, vt diſcipulo qui amore ei frater fuit, quota ſua pars, tanquam ex patrimonio nouæ laudis, legitimo nomine hęreditatis obueniret. Non defuère tamen qui cenſerent, neque Boccacium verſu, neque Petrarcham ſoluta oratione valuiſſe, tantorum ingeniorum ſortes alternāte Fortuna, ideoq; ambos acri iudicio in id munus intendiſſe neruos, ad quod pronior, atque liquidior ſtyli vena perflueret. Sed non diſpari Fato, & hic ipſe in ſtudijs opinione deceptus eſt, quum pręcipuo, ingentique labore, vt certum ſibi decus pararet, penè fruſtra deſudarit. Obſoleſcunt enim & ægrè quidem vitæ ſpiritum retinent libri de Genealogia deorum, varietateque Fortunæ, & de fontibus accuratè potius quàm feliciter elaborati, quando iam illæ decem dierum fabulæ, Mileſiarum imitatione in gratiam oblectandi ocij admirabili iucunditate compoſitæ, in omnium nationum linguas adoptentur, & ſine vlla ſuſpitione interitus, applaudente populo, cunctorum operum gratiam antecedant. Exceſsit è vita ſexageſimo ſecundo ætatis anno. Sepulchrum eius cum marmorea effigie inſculptis his carminibus in templo maximo Certaldi conſpicitur.

*Hæc ſub mole iacent cineres, ac oſſa Ioannis,*
*Mens ſedet ante Deum, meritis ornata laborum.*
*Mortalis vitæ genitor Boccaccius illi,*
*Patria Certaldum, ſtudium fuit alma poeſis.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

pudore vitabundus in arcanum ruris ocium euoluendis libris ſe abdidit, è qua demum ſtudiorum intentione audacter egreſſus, æquales ſuos doctrinæ firmitate, & mira iudicij conſtantia ſuperauit. Donatus eſt virtutis cauſa à Carolo Quarto Imperatore gentilitijs Bohemiæ regum inſignibus, quibus purpurei leonis forma aurato in campo, cum bicipiti cauda ſalientis exprimitur. Peruſiæ autem ſupremam in gymnaſio claritatem conſecutus fortunas ſuas collocauit: duxitque vxorem, ſed irrita ſpe maſculæ prolis. Verùm infinitos propè diſcipulos, amore filijs pares, præcellentis doctrinæ reliquit hæredes. Defuit ei Latinæ eloquentiæ facultas, ne ſummæ gloriæ faſtigiũ teneret. & tamen eſt quod maximè miremur, illum in perpetuo docendi munere occupatum, tot & tanta volumina perſcribere potuiſſe, quum quadrageſimo ſexto ætatis anno fato ereptus, iuſtum de inchoatis ſumma felicitate, necdum perfectis operibus deſiderium poſteris reliquerit. Sepultus eſt ad aram maximam in templo diui Franciſci.

Myrtei.

*Hic eſt Bartholus ille, iuris ingens*
*Lux, & commodus explicator hic eſt,*
*Quem mors ante diem abſtulit maligna.*
*Heu mors inuida, & æuo iniqua noſtro,*
*Quæ leges iterum iacere cogis.*

Latomi.

*Vnquam ſi poterunt perire leges,*
*Cum ipſis Barthole legibus peribis:*
*Aſt ſi harum ſteterit perenne nomen,*
*Non eſt quod timeas mori perennis.*

# Baldus



BALDVS honeſta Vbaldorum gente Peruſię natus, Bartholum præceptorē ſubtilitate ingenij & varietate doctrinæ ſuperauit: nam à patre medico celebri, priusquàm ius ciuile attingeret, dialecticæ atque philoſophiæ præceptis haud mediocriter imbutus fuerat. Præcoci enim ingenio penè puer non ad optimam modò frugem, ſed rariſsimo etiam naturæ dono, ad longam ſenectutē



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

peruenit. Verùm præalto ingenio multa conuoluenti, inuertentique ſtabilis ſcientiæ conſtantia deerat: quoniam ſubtiliſsimè diſputando, atque enarrando, non humani modò, ſed diuini quoque iuris intelligentia ſummus: refrigerato demum iudicio, poſt altercationes à Bartholo doctrinæ robore vinceretur. Eum eximia laude florentem, Ioannes Galeacius Vicecomes, potentia & gloria maximis regibus æquatus, cum Ticini gymnaſium conderet, magnis præmijs euocauit. Ibi nunquam ſeneſcente nominis fama, nunquam in publico munere defeſsis viribus ad ſeptuageſimum ſextum peruenit annum: fatoq; functus eſt paulò antequam ille Princeps externarum gentium victor, properante fato moreretur. Ferunt Baldum diui Frenciſci habitum, quum expiraret, induiſſe. Tumulus in eius diui æde cum hac rudi inſcriptione conſpicitur.

*Conditur hîc Baldus, Franciſci tegmine fultus,*
*Doctorum princeps, Peruſina conditus arce.*

**Latomi.**

*Qui Baldum iuri negat accendiſſe lucernam,*
*Ille poteſt medio Sole negare diem.*
*Nam dudum extinctam hæc meliora ſecula lucis*
*Opprimerent: radijs ſed micat illa ſuis:*
*Illa ſuo authori tanto ſpecioſior, orbis*
*Fulgida quòd medijs luxerit in tenebris.*

LEO

# Leonardus Aretinus.



PRIMVS in Italia Leonardus Aretij natus, Græcarum literarum decus à multis ſeculis Barbarorum immani tyrannide proculcatum erexit, atque reſtituit. Eius enim incomparabili beneficio morales Ariſtotelis libros optima fide traductos legimus. Hiſtoriæ quoque ab eo eleganter conſcriptæ, in manibus habentur. Hac ingenij fœcunditate florentem, Innocentius ſeptimus quanquam planè iuuenem, grauiſsimo muneri parem, epiſtolarum Magiſtrum fecit: ita demum eruditè, atque integrè officio functus, vt ſuccedentibus quatuor pontificibus amplificata dignitate operam præſtiterit. Seneſcenti opes creuerunt cũ aliena liberalitate, tũ ſua triſti parſimonia cumulatæ, adeò vt Arlottus, mordaci ſale perurbanus in Fabellis eius geniũ relicto corpore in fuga ſitientẽ ridenter expreſſerit. Mortuus, quod ei nullo pudore fuit, furti damnatus eſt, quòd



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Gothicam hiſtoriam ſuppreſſo Procopij nomine publicaſſet, accuſante Chriſtophoro Perſona, qui aliud exemplar nactus, & Gothicam, & Perſicam ſimul atque Vandalicam, & Græci authoris titulum ingenuè profitendo tranſtulerit. Nouiſsimè reuocatus in Etruriam populi Florentini res geſtas perſcripſit, nec multo poſt ſenex, diuitijs, & gloria plenus Florentiæ vita functus eſt, dignus vtique hoc ſepulchri titulo, ac marmoris ornamento, quod in æde ſanctæ Crucis ſpectatur.

### Caroli Aretini.

*Poſtquàm Leonardus è vita migrauit,*
*Hiſtoria luget, eloquentia muta eſt:*
*Fertur'que Muſas tum Græcas, tum*
*Latinas, lachrymas tenere non potuiſſe.*

### Latomi.

*Si quis bene vnquam meritus eſt de litteris,*
*Is Leonardus erit.*
*Qui fluctuanteis litteras Pelaſgicas,*
*Exilio'que vagas*
*Iam iam futuras: ſcilicet Bizantij*
*Sceptra premente Deo,*
*Latè excitatis Barbaris: Quiritum*
*Primus ad arua vocans,*
*Septena duxit Vrbis ad palatia.*
*Vnde ſtatim Italiam*
*Miſsis per omnem plurimis colonijs,*
*Tam bene nunc habitant,*
*Solo vt nequirent in patrio opulentius.*
*Proin Leonarde tuo*
*Fruère merito, gens Latina litteras*
*Dum colat Argolicas.*

*POGIVS*

# Pogius.



POGIVS è Terranoua Florentinæ ditionis oppido, in hac luce Romani cœli optimis literis ingenium ita expoliuit, vt Pontificijs ſcrinijs ſub Eugenio & Nicolao præficeretur, æquatus ſcilicet honore ſummis viris, qui in eo munere fidelis, eruditique ingenij operam pręſtitiſſent. In his fuêre Leonardus Aret. Maphęus Vegius, et Ioan. Auriſpa. Erat cōſilio grauis, & quū luberet, facetiarū ſale perurbanus: ita vt mira, & ſępe ſubita varietate ad ciendum riſum modò prętextatis verbis vteretur, modò grauibus & malignis ſcommatibus alienę famę nomen perſtringeret. Sed amarulento libello in Vallam importunè inuectus, ab eodem peſsime audiendo cumulatas maledicētię ſuę pœnas luit. quū Valla ſuo telle turgidus, & Facium, et Panormitā, et Raudenſem probroſis voluminibus



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

iugulaſſet. Erat quoque Pogius adeò intemperans obiurgator, vt quum in Theatro Pompei, loco & die celebri, vbi bullatorum diplomatum cenſura habebatur, Georgio Trapezuntio malediceret, ab eo acriter duplici colapho cæderetur. Tranſtulit demum è Græco Diodorũ Siculum: ſed et nobiles aliquot libellos de infelicitate Principum, varietateque Fortunæ, & de auaritiæ peſte, orationes item plures compoſuit tanta ingenij fœcunditate, vt facetias etiam ad excitandam hilaritatem ægris animis expetendas conſcriberet. Sed quod gratum & vtile poſteris fuit, Ciceronis libros de Finibus, & de Legibus à ſe in Germania deſcriptos, in Italiam primus attulit: ita vt & ei quoque Quintilianum in ſalſamentarij taberna repertum debere fateamur. Nouiſsimè ex multa peregrinatione, Romanaque aula exactæ ætatis ſenex Florentiam reuerſus, conſummato oratore, ac optimo ciue dignam patriæ operam præſtitit, conſcripta Latinè hiſtoria populi Florentini, quæ à Iacobo demum filio in Etruſcum ſermonem verſa legitur. Hic iam defuncto patre ex Pactiano ſcelere ſtrangulatus, in prætorij feneſtra cum cæteris pependit.

Myrtei.

*Olim Pierides, olim Florentia mater,*
*Viuente riſit Pogio.*
*Nunc tumulum hunc adit, & donũ pro carmine flores*
*Fert, proque riſu lachrymas:*
*Quæ niſi pro vera ſint pietate, rogabit*
*Arnus miniſtret vt ſuas.*

Actij Synceri.

*Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hoſtem*
*Nec malus eſt ciuis, nec bonus hiſtoricus.*

Latomi.

*A grauibus potui ſtudijs qui clarus haberi,*
*Corrupi ingenium plus ſatis ipſe meum.*
*Conuerti ad rixas animum, nugaſque facetas,*
*Sed Cato quas nolit, quaſque Sabina legi.*
*Hac ego quæſiui vitam male ſanus in herba,*
*Heu facit ad vitam ſed nihil iſta ſeges.*
*Viuo tamen: ſed non aliter quàm Heroſtratus ille,*
*Quæſita, & parta eſt crimine vita meo.*
*Vos moneo, ingenio quicunque & ab arte valetis,*
*A ſolidis vitæ quærite rebus opem.*

# Ambroſius Monachus.

AMBROSIVS Monachus ex ordine Camaldulenſium, qui ſupra Florentiam in opacis Apennini iugis dicatam cœnobio vitam ſeuere ducunt, doctrinæ grauitate ac ingenij præſtantia æquales ſuos anteceſsit. Gręcè enim atque latinè doctiſsimus, complectente Coſmo, & mox Eugenio, & Nicolao admirantibus, ſummum eius ordinis honorem, qui Generalis præfecturæ hodie dicitur, ita

ade-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

adeptus eſt, vt eum conſtanti iudicio Patres purpuræ deſtinarent. Dionyſium enim Areopagitam de Cœleſti Hierarchia, diuino ſpiritu proloquẽtem ſingulari eloquentiæ puritate Latinis expreſſerat, atque item Diogenem Laertium, verum non eadem cura, limaque perpolitum. Sed & ſacris operibus bibliothecam, quæ ad Angelos ſpectatur, cumulatè referſit: quibus exiſtimari poteſt, nequaquam ei vires & facultates, ſed animum omnino defuiſſe, vt ad Romanę facundiæ faſtigium perueniret: abſtractus enim in altitudinem Chriſtianæ contemplationis, vti pium ſacratumque virum decebat, totius vitæ ocium in diuinis literis conſumpſit. Fuit hic vir, quod rarò euenit, ſine oris triſtitia ſanctus, ſemper vtique ſuauis, atque ſerenus: ita procul à liuore, contentioneque, vt cum Vallæ Pogium reconciliare conaretur, eos neq; planè literatos, neq; item Chriſtianos videri diceret, qui inducta ſimultate ſacroſanctum literarum decus probroſis libellis importunè defœdarent. Exceſsit è vita planè ſenex, tumulatusque eſt ad Angelos, vbi hoc carmen pius Vates affixit.

Spinelli.

*Attica mella ſapis, redoles quoque nectar vbique,*
*Tu qui diuino numine, nomen habes:*
*Quod niſi dulce canis referens myſteria diuûm,*
*Dulcius hoc certè eſt nectare, & ambroſia.*

Myrtei.

*Viximus ambroſia, ſed enim conceſsimus Orco,*
*Nunc iterum cœlo redditur ambroſia.*

Latomi.

*Qui legis hunc tumulum, legeres ſi ſcripta ſepulti,*
*Poſſentque hîc oculis nuda patêre tuis:*
*Quàm fluit eloquio, quàm dulciter afficit, vtque*
*Nil niſi nectareum quolibet ore ſapit:*
*Diuinus fieres, nec quamlibet ante ſcyſſes,*
*Iurares dictum protinus Ambroſium.*

# Antonius Panhormita.

ANTONIVS Panhormita Siculus, Bononię equeſtri familia natus, qui à Pontano alumno Elegantiarum pater appellatur, elatè genus ſuum ab vltimis Britannis, Becadellaque familia Bononiæ celebri repetebat, præclaro genti inſignium argumento, quòd ijſdem militari in ſcuto, depictis alatis viperis vteretur. Sed maiorem profectò ſibi ex laude optimorum ſtudiorum nobilitatem comparaſſe videri poteſt. Moribus enim ac literis præſtantibus exornatus, quum Philippo Mediolanenſium Principi fertilis ingenij induſtriam obtuliſſet, tãta liberalitate ſuſceptus eſt, vt Principẽ noſcendæ hiſtorię cupidũ, familiariter doceret, & publicè octingentis annuis aureis elegãtiores literas profiteretur. Hic eſt ille Philippus, qui ſummũ clementiæ fructũ generoſis exoptatum Regibus

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

glorioſiſsimè decerpſit, quum Alfonſum Regem nauali prælio captum, non c miſerit modò, ſed auctum copijs, ac opibus in regnum reſtituerit. Verùm eo grauiſsimis bellis occupato, Panhormita Alfonſo adhæſit, ſecretioris ſcrinij magiſter, & ſtudiorum, expeditionumque omnium terra marique perpetuus comes. Scripſit Epiſtolas candidiore ſtylo, ſed maximè iucundo victoris Regis triumphum, & de factis dictiſque optimi eius Regis aureum libellum, quem Pius Pontifex exemplis paribus intertextis, nobiliorem reddiſſe videtur. Sed cum Valla demum ad exercendum maledicentiæ dentem, naturæ acerbitate paratiſsimo, ſimultatem concepit: eo quidem euentu, vt mutuis veluti confixi telis, fœdè admodum inimicis riſum excitarent. Senex vxorem duxit Arcellam ſibi magnoperè dilectam, liberoſque ſuſcepit, quorum honeſta ſoboles Neapoli viſitur. Poſtremò æger, vitæque diffidens, in ſupremo morbo hoc carmē compoſuit, quod tumulo inſcriberetur.

*Quærite Pierides alium qui ploret amores,*
*Quærite qui Regum fortia facta canat.*
*Me pater ille ingens hominum ſator, atque redemptor*
*Euocat, & ſedes donat adire pias.*

### Pontani.

*Siſte hoſpes, fas eſt cantus audire Dearum:*
*Grata mora eſt: Muſæ nam loca ſacra tenent.*
*Antoni monumenta vides: hinc templa frequentant:*
*Ille fuit ſacra maxima cura chori.*
*Illum ſæpe ſuis medium ſtatuêre choreis,*
*Duxit compoſitos arte decente choros.*
*Sæpe lyram ceſſit Clio, ceſſere ſorores,*
*Concinuit teneros voce manúque ſonos.*
*Extinctum fleuitque Aon, fleuitque Aganippe*
*Sebethus miſeros egit in amne modos.*
*Sirenes quoque de ſcopulis miſerabile carmen*
*Ingeminant, planctu littora pulſa ſonant.*
*Pierides triſtem ad tumulum fudêre querelas,*
*Pierides paſsis poſt ſua terga comis.*
*Hinc creuit deſiderium, nec cura receſsit*
*Vatis, at extincto vate remanſit amor.*
*Conueniunt nunc ad tumulum, celebrantque choreas,*
*Et memorant luſus magne Poeta tuos.*
*En audis ſonet vt lenis concentibus aura?*
*Ut ſonet appulſu concita terra pedum?*
*Hæc vati memores Muſæ poſt Fata rependunt:*
*Carminis hoc meritum eſt: num ſatis? hoſpes abi.*

### Eliſij Calentij.

*Qui molles elegos, & Regum geſta canebat,*
*Sacra Panhormitæ contegit oſſa lapis.*

Iani

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

### Iani Vitalis.

*Has tibi dat violas, immortaleſque amaranthos*
*Ingeniorum altrix, & Martis alumna Panhormos:*
*Non quia torpenti Muſas excire veterno,*
*Aut Regum immenſas potuiſti aſſumere curas,*
*Verùm quòd Craſſos inter, diteſque Lucullos,*
*Integer Antoni voluiſti viuere Codrus.*

### Latomi.

*Cum Valla, fateor, mihi non conuenit. ob id ne*
*Et ſalis, & Veneris laus mihi tota perit?*
*Et vixi comis, & (credite) ſemper amaui,*
*Qui iuuenem duxi iam ſatis ipſe ſenex,*
*Dein colui Muſas, quæ Valla, quia omnia ſpreuit,*
*Dico illum humanum non tenuiſſe modum.*

# Laurentius Valla.

LAVRENTIVS Valla Romanus à Gothicis temporibus vſque ad patrum noſtrorum memoriam prealto ſepultos ſomno ciues ſuos ad nobilium literarum ſtudium excitauit. Indignatus enim tandiu corrumpi ſeculum leguleorum & ſophiſtarum immani conſpiratione, optimaſque artes inculta ſermonis barbarie defœdari, Elegantiarum libros edidit, traditis Romanæ elocutionis preceptis ex accurata veterum ſcriptorum obſeruatione, quibus iuuentus æmulandi ſtudio ad detergendas corruptarum literarum ſordes accenderetur. Eam quoque illuſtrati patrij ſermonis laudem Græcæ literæ cumularunt, quum Thucydides, & Herodotus hiſtoriæ parentes, ipſius liberali labore è Græcia in Latium tranſierint. Fuit Valla ingenio maximè libero, ob idque mordaci, contentioſoque, vtpote qui aliena ſatyrico dente facilè perſtringeret, & lites in literis, quaſi id opus eſſet, aduerſus ignorantes acerrimas ſereret. Extant enim Inuectiuarum, & Recriminationum aliquot libri, eruditè ſalſeque perſcripti: quibus dum læſi nominis famam tueretur, Facium Ligurem, Panhormitam, Pogium & Raudenſem iugulaſſe videri poteſt. Flagellatis quoque regionum ludimagiſtris, vti multa bile redundans, quòd nihil in aula Pontificis ſibi placeret, Neapolim ad Alfonſum Regem ſe contulit, apud quem de auitis bellis in Hiſpania, atque Sicilia geſtis hiſtoria perſcripta eſt: ſed eo ſtyli charactere, vt eius minimè videri poſsit, qui cæteris elegantiarum præcepta tradiderit. Edidit etiam opus de falſa Donatione Conſtantini, pio, & ſacerdotis nomen profeſſo criminoſum atque nefarium, vt pontificij Imperij authoritatem Græcorum ſcriptorum adſtipulatione confirmatam conuellere niteretur. Sed mox eadem inconſtantia Regem deſeruit, vel improbante Philelpho, vt nec planè ſenex in patria moreretur. Sepulchrum cælato ex marmore, cum effigie, ac elogio, Catharina mater pientiſsimo filio poſuit, quod in Laterano (eius enim tem

pli flamen erat) introeuntium ad dextram ſpectatur. Obijt anno Chriſtianæ ſalutis, M. CCCC. LVII. Calendis Auguſti.

Franchini Coſentini.

*Laurens Valla iacet, Romanæ glori linguæ.*
*Primus enim docuit, qua decet arte loqui.*

Latomi.

*Barbaries Gothicis inuecta ferociter armis,*
*Conſtiterat ſolido per Latium omne gradu,*
*Séque clientelis quum iam muniſſet. & annis,*
*Inque hoſtem blattas mitteret & tineas:*
*Indignans patriam tam fœdè Valla iacere,*
*Armauit ſubitam, conſeruitque manum:*
*Illa ſupercilio ſperans rem poſſe teneri,*
*Debacchata quidem, ſed propè fracta fuit:*
*Et, niſi per mortem, cecidiſſet tota profectò,*
*Interea vinci qua valet arte liquet.*
*Queis tibi pro meritis (ſi grata eſt, Roma probabit)*
*Ponimus hæc tumulo carmina Valla tuo.*
*Romulus eſt Vrbis, Valla eſt idiomatis author.*
*Hic reparat primus, primus vt ille ſtruit.*

FLA.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Flauius Blondus



FOROLIVII viæ Aemiliæ nota vrbe Flauius Blondus prodijt, rudi adhuc veteris elegantiæ ſeculo. Is magno auſu, ſingularique induſtria, nec infelici euentu, multorum annorum intermorientes res geſtas è tenebris excitare orſus, Decadas conſcripſit, quibus ab inclinante Romano imperio funeſta tempora, ac ideo veritatis lumine orbata, in lucem proferuntur. De vetuſtate quoque collapſæ Vrbis, ac eius demum reſurgentis dignitate, erudito operoſoque volumine publicato, quantam nec ambitioſè quæſitam exoptarit, in literis authoritatem adeptus eſt: vnde ei honeſtæ opes fauore Pontificum acceſſere. Liberis operā dare, quàm ſacris initiari maluit: ſuſcepitq; Gaſparem filium, quem vxor Margania Romani ſanguinis, nobilitaſſe viſa eſt: ſed poſteri, quanquam adauctis fortunis, conditori familiæ minimè reſponderunt. Fato functus eſt ſeptuagenarius, tumulatusque in Capitolio extra limen templi deiparæ Vir-



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ginis(id enim Iouis Tonantis olim fuiſſe putamus)quod non ſecus ac antiquitus, authore Tacito, centum gradibus adeatur.

Iani Vitalis.

*Eruis è tenebris Romam dum, Blonde, ſepultam,*
*Es nouus ingenio Romulus atque Remus:*
*Illi vrbem ſtruxêre rudem, celeberrima ſurgit*
*Hæc eadem ſtudijs ingenioſè tuis:*
*Barbarus illam hoſtis ruituram euertit, at iſti*
*Nulla vnquam poterunt tempora obeſſe tuæ.*
*Iure triumphalis tibi facta eſt Roma ſepulchrum,*
*Illi vt tu viuas, viuat vt illa tibi.*

Latomi.

*Dum ſtetit auguſto Romanum limite regnum,*
*Termine, Dijs magnus æquiparandus eras.*
*Cedebant illi venturo ex arce Tonanti:*
*Cuſtodi imperij manſit, vt antè, locus.*
*Cur nunc mortali cedis, dic Termine Blondo?*
*Pondus habet meriti num Iouis, atque tui?*

# Petrus Candidus December.

CANDIDVS December è Viglebano vrbe, quæ eſt inter Padũ & Ticinum, Laurentij Vallæ teſtimonio exactiſsimæ cenſuræ grammaticus, Mediolani Græcè, Latineque docuit, præſtanti eruditionis ac eloquentiæ fama. Eius extat Appianus Alexandrinus è Græco in latinum verſus, id expetente Alfonſo Rege, qui ſtudioſiſsimum quemque eius ætatis, vt ad locupletandam Latinam linguam, occultos Græciæ theſauros proferrent, liberaliter inuitarat. Sed manci paſsimque corrupti exemplaris Græci vitio, vel laborioſus interpres in eo opere ſeſe candidum præſtare non potuit, quum alia multò felicius perſcripſerit. In vita enim Philippi Vicecomitis, quæ circunfertur, Suetonium lepidè admodum æmulatus, ita quod propoſuerat expreſsit, vt aliquanto inuerecundius, quàm ſcriptorem odio vacuum deceret, ſtylum exercuiſſe iudicetur, quum vitia hominis occulta, nec vlli magis, quàm ipſius pudori nocentia, ob idque velanda prorſus, cupidè nimis, maligneque detexerit, in eo præſertim Principe, in quo ſingularis illa, diuinæque ſimillima clementię laus, cum probro multorum regum glorioſè refulſit. Fato functus eſt octogenarius ſenex Mediolani, non mediocribus fortunis à Franciſco Sfortia decenter honeſtatus, meruitq; marmoreum ſepulchrũ, cum effigie è ſuggeſtu iuuentutem docentis, quod in veſtibulo Ambroſianę baſilicę ad læuã introeuntib. occurrit, hoc rudi carmine inſcripto, quod reſpondente rhythmo, nõ minus ineptè, q̃ ridiculè clauditur.

*Scandere ſidereas virtus ſi nouit ad oras,*
*Candidus aſtra tenet, in templo numen adorans:*
*Pontifici ſummo, Regi, populoque, Ducique*
*Hic Ligurum ſecreta dedit laudatus vbique:*
*Miles eloquio clarus, Graijsque Camœnis*
*Inſtructus, Latium ſtudijs ornauit amœnis.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Mundanis feſſus curis, & in æthere pulchro*
*Elatus, gelido linquit ſua membra ſepulchro.*

Latomi.

*Quis iacet hîc multa formoſus meſſe December?*
*Ingenium æſtiuæ fertilitatis habet.*
*Quid non talis ager hac tempeſtate tuliſſet,*
*Ingenia autumno quando fouente calent?*

# Donatus Acciaiolus.

DONATVS Acciaiolus antiquæ ſtirpis Florentinus, quum exortis florentibus ingenijs de doctrinæ laude certaretur, in vtraque lingua generoſè admodum ſeſe exercuit, vt ex Moralibus Ariſtotelis luculenter apparet, quibus erudita & pereleganti commentatione magnum lumen attuliſſe iudicatur, exploſis ſcilicet ſophiſtarum interpretum ineptijs, quum Euſtratij Græci placita ſecutus, certiore vtique veſtigio niteretur. Vertit etiam in Latinum è Plutarcho clarorum aliquot vitas longè omnium elegantiſsimè: verùm aliquanto nobilior euaſit, quum Carolum cognomento Magnum, tanquam alterum Florentiæ patriæ conditorem Latino libro celebraſſet. Sed vir conſilio grauis, ac ob id obeundis Reipublicę muneribus occupatus, neque ſatis ocij ad ſtudia literarum furari, neque ętatem, quòd tenuiſsima valetudine vteretur, longiſsimè proferre potuit. Fato enim functus eſt Mediolani, quum legatus in Galliam vlteriorem iter haberet: vt inde, implorata ope, ciuitatem Pontificijs armis vexatam, periculo liberaret. Nihil enim remiſſo odio, Xyſtus, poſt vindicatum Pactianæ coniurationis facinus, Laurentium Medicem, ex ea iniuria firmiore dominatu potitum, vehementiſsimè perſequebatur. Donati oſſa, ad vetuſtum gentis ſepulchrum Florentiam relata: id Carthuſiano in templo, hoc epigrammate inſcripto legentibus indicatur.

Politiani.

*Donatus nomen, patria eſt Florentia, gens mi*
*Acciaiola domus, clarus eram eloquio.*
*Francorum ad Regem patriæ dum orator abirem,*
*In ducis anguigeri mœnibus occubui.*
*Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum*
*Inter maiorum nunc cineres ſepelit.*

Latomi.

*Quam vitam impartis alijs, abs te accipis ipſe,*
*Et frueris meritis Acciaiole tuis.*
*Dignus, quem docti ſimili pietate Nepotes*
*Exornent: atqui ſufficis ipſe tibi.*
*Nec patria ingrata eſt, pro qua vel Fata ſubiſti.*
*Quæ tibi dat tumulum, quantum habet imperium.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Fr. Philelphus.



TOLENTINATES in publica Decurionum domo Franciſci Philelphi ciuis effigiem, cum equeſtris ordinis baltheo laureatam peregrinis hoſpitibus oſtendunt, adſeruantque etiam regij diplomatis membranam, ad collatæ dignitatis argumentum. Is Græcarum literarum amore flagranter incenſus, vt de Caballino fonte potaret, Parnaſum montem petiuit, in Athenarumque ruinis immortalium philoſophorum veſtigia pedibus calcauit. Porrò inde Byzantium profectus, Emanuelis Chryſoloræ filiam vxorem duxit, quæ Græcæ elocutionis magiſtra, quotidiano vſu Atticorum accentuum, inepto, ſed docili coniugis ori dulcedinem inſtillaret. Reuerſum inde, & Græcè pariter, ac latinè paſſim orantem, Italiæ principes admiranter exceperunt. Suſcepto enim legationis munere, Palæologi Imperatoris Conſtantinopoli, Turcarum infeſta arma



ægrè

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ægrè ſuſtinentis preces afferens, opem implorabat. Fauère ei ante alios Eugenius Pontifex, Rex Alfonſus, & qui ſingulare iuſtitię, & bellicæ vrtutis coronã eo ſeculo promeruit Franciſcus Sfortia, ab eo heroico poemate celebratus. Ingenio enim in ſtudijs æſtuante, vario, ambitioſo, quum neminem ſibi exæquari literaria laude pateretur, plura quàm quiſquam alius, in omni dicendi genere volumina publicauit, profitendoq́; ſingulis in vrbibus eruditæ iuuentutis academias excitauit, nullam ſpem nobilioris gloriæ Latinis æmulis de Romana facundia: nullam denique de Græca, vel ipſis Græcis relicturus, niſi tantus eloquentiæ fluuius, vti nullis moderati iudicij ripis caſtigatus, nimis latè exundans, & mutato ſæpe alueo, turbulentus & incertus, dum ſeſe diducit, & abſcedit in paludes, perſpicui profluentis dignitatem amiſiſſet. Inter Græca opera latinitate donata, Xenophontis Pædia Cyri, & ex Plutarcho aliquot heroum vitæ, & demum Hippocrates, non ita probantur à Græcis, quàm à Latinis perleguntur. Vixit ad exactam ætatem nonagenario proximus, perijtque Bononię adeò diſsipatis rei domeſticæ copijs, vt ad efferendum funus & cubiculi & coquinæ inſtrumenta venierint: & Marius filius egregiè doctus, paternæ potius virtutis, quàm multæ ſubſtantiæ hæres relinqueretur. Sed in familia eruditæ victoriæ trophæum permanſit, nobili exceptum riſu, quum Timotheo Græculo, de vi ſyllabæ contendenti, victoque, barbam ex pactione inexorabili ſuperbia deraſiſſet, vti lepidè Myrteus his carminibus expreſsit.

Myrtei.

*Nunquid ſat tibi non fuit Philelphe,*
*Linguæ gloria nobilis Latinæ?*
*Ni Græcas quoque peruagatus vrbes,*
*Dignus coniuge, nuptijsque Græcis*
*Ferres Timothei nouum triumphum?*
*Cui, dum vna ſemper ille dictione*
*Tecum pignore certat, atque barbam*
*Abradi ſibi ferre pollicetur,*
*Victus: aut poſitam pecuniam abs te*
*Victor auferat. Abnegaſti eadem*
*Barbam poſſe pecunia obtinere*
*Victor: atque nouacula expedita*
*Barbam illius habere maluiſti:*
*Iam nunc non Italæ Philelphe, ſed ſis*
*Græcæ gloria nobilis paleſtræ.*

Latomi.

*Lis ſuper accentus Græci ratione, Philelphum*
*Thimotheumque inter (Græculus ille fuit)*
*Orta eſt: diſsidium placet hoc ſopire periclo,*
*Græculus es, barbam victor vt ille ferat.*
*Dij bene, Romanus ſuperauit: & ille coactus*
*E pacti barbam tradere lege fuit.*
*Exultas ſpolio, Græcaque vxore ſuperbis:*
*Non eſt ingenio laus minor iſta tuo.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Nicolaus Perottus.



SENTINVM Vmbriæ oppidum, cui hodie Saxoferrato nomen eſt, Bartholo iureconſulto nobile, ſecundam à Nicolao Perotto claritatem accepit. Huic, quum deeſſent opes, corporis vires mãcipali frugalitate, atque duritia conſtitutæ, perpetuis lucubrationum vigilijs minimè defuerunt. Iuuenis in ludo pueros honeſtos docuit tanto curſu, vt mox Latinæ linguæ rudimenta, vtili compendio ad normam digeſta, ob idq́ue facilè pueris perdiſcenda publicarit. Exinde Romę Græcas literas pertinaci ſtudio conſectatus, fretusq́ue Beſſarione generoſo Mecœnate, adeò exactè, feliciterq́ue profecit, vt ab eo Polybius grauiſsimus hiſtoriarum ſcriptor, latinitati donaretur. Non defuêre tamen ex æmulis, qui eius auctoris traductionem antiquiſsimam fuiſſe, furtoq́ue ſurreptam exiſtimarint, quòd Thucydidem, Diodorum, Plutarchum & Appianum, clariſsimo ingeniorum certamine conuerſos, vnus Polybius egregia fide Latinus, æquabili,

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

bili, & prædulci Romani ſermonis puritate prorſus antecedat. Compoſuit quoque volumen commentarij nomine in Martialem, Cornucopiæ, vſurpato vetere Græco lemmate nuncupatum, perutile quidem, ac ob id fortaſſe ſempiternum: ſed auſtero pudore ſuppreſsit editionem, quòd humili, & parum pudico operè quæſita laus dignitati minimè reſponderet. partis enim opibus, Archiepiſcopatum Sipontinum adſecutus, ſeipſo maior, Peruſiam Vmbriamque regebat. Exceſsit è vita ſenex apud Sentinum, in villa viridarijs & fontibus peramœna, quam à pingui ocio Fugicuram appellauit.

Myrtei.

*In villa Fugicura obit Perottus.*
*O villam nimis, & nimis beatam,*
*Quæ viuentis heri leuare curas*
*Poſſet, nunc cineres tenet ſepulti:*
*O Villam domino beatiorem,*
*Cui curas moriens reliquit omnes.*

Latomi.

*Cornu nobile copiæ Perotti*
*Non quale Oleniæ puer Capellæ*
*Sanxit Iuppiter, intulit Cœlo:*
*At quale Herculea manu reuulſum,*
*Ætoli fluuij perenne vulnus,*
*Thymo & baccare Naiades replerunt:*
*At doctum, variumque, multiplexque,*
*Et cunctis opibus, cupedijſque,*
*Quas Muſæ Oenotrides amant, refertum.*
*Hic eſt ille liber, ille Martialis*
*Interpres, Latiæ illa lingua linguæ*
*Cornu nobile copiæ Perotti.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Platina.



SACRATI præſertim ordinis, boniq́ue mortales plurimum Platinæ manibus debent, quando eius ingenuo labore, ad exoptatam obſcuri ſeculi, nec ideo perituram lucem, Pontificij principatus actionum incorrupta veritas nunciatur: quæ procul eloquentiæ illecebris, vti pura & incompta fidem præfert, & cæteris elaboratis operibus auget dignitatem. Neque enim vel dialogi de Vero bono, veraq́ue nobilitate, & de Optimo ciue grauiter conſcripti: vel honeſtæ voluptatis documenta ſcite tradita diu ſupereſſent, niſi viuacis hiſtoriæ lateribus adfixa, felici ſocietate ſuccederent, & communi (quanquam impari) perennis vitæ ſpiritu fruerentur. Is planè egens, & obſcurus, vnoq́ue tantum ingenio nobilis, Cremona Calixto Pontifice in vrbem venit. Cognitum Pius atque Beſſarion, erudito iudicio ſacerdotijs minoribus exornarunt. Paulus ve-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

lus verò Pontifex periniquè maligneque delatum immaniter torſit: Xyſtus demum conditę ab ſe in Vaticano bibliothecæ præfecit, quum eo munere longè digniſsimus haberetur. In ea nobili cuſtodia iam ſenex fato functus eſt, Quirinalem domum cum Laureto ad coronandos poetas Pomponio relinquens. Funus in Exquilias ad Mariæ maioris templum vſque perductum eſt, flebili carmine celebrantibus poetis: ſepulchro autem, quòd à læua ad tertiam columnam conſpicitur, hoc epitaphium ab alumno Demetrio inſcribi iuſsit, quum & hæc quoque carmina amici lugentes affixiſſent:

*Quiſquis es (ſipius) Platinam*
*Et ſuos ne vexes, anguſtè*
*Iacent, & ſoli volunt eſſe.*

Actij Synceri.

*Ingenia, & mores, vitaſque obituſque notaſſe*
*Pontificum argutæ lex fuit hiſtoriæ.*
*Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ,*
*Hoc, Platina, eſt ipſos paſcere Pontifices.*

Proſperi Spiritei.

*Qui res Pontificum ſacras, & geſta piorum,*
*Quique ducum vitas nobile fecit opus:*
*Quiq; modum docuit, quo laudet honeſta voluptas,*
*Et quo ne iuuenes torqueat acer amor:*
*Pluraq;, quæ longum eſt, properans cenſere, Viator,*
*Omnia ſidereæ pignora mentis erant.*
*Viuit adhuc Platina: et quãquam conceſſerit Orco:*
*Nil tamen in vatem Parca ſeuera poteſt.*

Latomi.

*Dum res Pontificum ſtrueret, propè fractus ab alto*
*Collapſus eſt faſtigio.*
*Romulus auſpicio eſt, quia ſacræ conditor Vrbis*
*Nec non Remus periculo.*

# Iacobus Cardinalis Papien.

FVIT hic vir inter ſacrati ordinis Senatores, pari virtutis atque Fortunæ munere lectiſsimus. Erat enim cum optimarum literarum ſtudio, & vigilantis ingenij fertilitate, tum animi iudicio, ſtyloque, & perſpicuis moribus Pio ſecundo perſimilis: à quo adoptatus in familiæ nomen, & ad purpuræ decus euectus eſt. Extant Commentarij grauiſsimarum actionum, atque epiſtolæ: quibus ſenatoriæ prudentiæ potius, & Chriſtianæ ſeueritatis nomen, quàm perfectę orationis laudem petiſſe videri poteſt: quòd in curſu honorum maximis obeundis muneribus occupatus, ſplendidum illud anteà conceptum illuſtris eloquẽtiæ lumen, feſtinato & penè præcipiti, vti neceſsitas ferebat, ſcribendi genere vehementer infuſcarit. Verùm ea rudis adhuc ſeculi ingenia facilè ſumma, ac

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

admiranda cenſebantur, quæ hodie tanquam expergefactis cenſoribus, vix in infimis literarij theatri gradibus ſedem inueniunt. Sed fortaſſe populari commendatione contentus, eam abſolutè ſcribendi gloriam, vti leuem, & à doctiſsimis tantùm, ideoque pauciſsimis intellectam, ſpreuit, vt ingenio ad ſacrarum literarum ſtudia reuocato, illam quam dij ſuperi dederant perſonæ dignitatem religioſè tueretur. His enim moribus ſibi iter ſternebat ad ipſum rerum faſtigium, ſed illudente Fortuna in ſummo ferè deceptus hæſit, quum Fata potiorem ei viam ad cœlum permunirent. Perijt enim non adhuc ſenex in ſeceſſu ad cryptas Laurentianas Vulſinienſis lacus, à circumforaneo medico miſerabiliter enecatus, quum vir in omni negotio, præterquàm in tuendæ ſanitatis ratione prudentiſsimus, vt quartanæ febris tædium diſcuteret, immite veratrum ſtulta propinatum manu, fato coactus ebibiſſet. Scripſerat antea ingenuæ piæque liberalitatis teſtamentum, ſed id Xyſtus Pontifex irritum fecit, quòd pecunia ſatis grandis apud menſarios occultè depoſita, tanquam frugi atque opes contemnentis cenſu, amplior æſtimatione publica videretur. Epigramma tamen ex eodem teſtamento in fiſcum non venit, hæredibus vtique relictum, vt hoc modo marmoreæ ſepulchri tabulæ inſcriberetur.

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria, nomen*
*Dum vixi Iacobus, mens bona pro genere:*
*Papa Pius ſedem Papienſem detulit, idem*
*Cardineo ornauit munere, gente, domo:*
*Quem colui viuens, non linquo mortuus: hìc ſum,*
*Et propè ſancta patris filius oſſa cubo.*
*Viuite qui legitis, cœleſtia quærite, noſtra hæc*
*In cineres tandem gloria tota redit.*

Latomi.

*Hìc ille cardo, & alpha litterariæ*
*Gloriæ, Iacobus Papienſis accubat*
*Pio parenti, homuncioni Syluio.*
*Vterque quorum literis euectus eſt,*
*Ille ad tiaræ triplicis faſtigium,*
*Hic ad rubentis purpuræ: in qua ſubſtitit*
*Patri hoc libenter deferens, honoribus*
*Vt præſtet ipſi, cæteris ac dotibus:*
*Pio parenti filius gratiſſimus.*

DOMI-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Domitius Calderinus.



CALDERIA Veronenſis agri oppidum, calidis aquis nobile, Domitium protulit. Eum acri flagrantiq; ingenio ad gloriam anhelantem, Beſſarion Cardinalis excepit, & extulit. Exinde, quum Romæ profiteretur, & obſcura ſenſa duriorum poetarū admirabili reconditę lectionis teſtimonio dilucidaſſet, literarij ſplendoris aſſertor, ac omnis obſcuritatis illuſtrator acclamatus eſt. Verùm editis interpretationum commentarijs, peracerbas, ſed iuuentuti maximè vtiles cum æmulis ſimultates exercuit. Ambitioſo quidem, & nimis aculeato dicendi genere ex aliena inſcitia (dum intemperanter perſtringit, atque remordet) nomen quærens, eo modo, ætate, laudeque florentem, ſed imbecilli ſtomachi temperaturam nimijs lucubrationibus exterentem: quum digna multis ſeculis opera conciperet, rapida febris eripuit. Celebrante funus Academia, nobi-



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

is iuuentus cum lachrymis veſtem mutauit, mortem verò vel æmuli, & principatum affectantis, Politianus his carminibus proſecutus eſt.

*Hunc Domiti ſiccis tumulum qui tranſit ocellis,*
*Vel Phœbi ignarus, vel male gratus homo eſt.*
*Intulit hic vatum cœcis pia lumina chartis,*
*Obſtruſum ad Muſas hic patefecit iter.*
*Hunc Verona tulit, docti patria illa Catulli:*
*Huic lætum, atque vrnam Roma dedit iuueni,*

Eiuſdem Scazon.

*Aſta, Viator, puluerem vides ſacrum,*
*Quem verticoſi turbat vnda Benaci,*
*Hoc mutat ipſum ſæpe Muſa Libethron,*
*Fontemque Siſyphi, ac vireta Permeſſi;*
*Quippe hoc Domitius vagit ſolo primùm,*
*Ille, ille doctus, ille quem probè noſti*
*Dictata dantem Romulæ iuuentuti,*
*Mira eruentem ſenſa de penu vatum.*
*Abi, Viator, ſat oculis tuis debes.*

Latomi.

*Heus tu, Viator, ſi vacat: ſed accede*
*Sic, vt neque anima, neque ſtrepitu moleſtus ſis:*
*Nanque æger eſt qui hîc dormit, & caput languet,*
*Adhuc miſello tinniens, ob illas quas*
*Conuitiorum prope muliebrium pugnas*
*Pro litteris pluſquam viriliter geſſit:*
*Humanitatis haud ferentibus Muſis*
*Decus, tam ineptè turpiterque proſcindi.*
*Factum vnde credo, quòd, bene meritum quamuis,*
*Etiamque dum virum, annuère ſuſtolli.*
*Tu Calderinum Domitium, ſatis ſi vis,*
*Salueto notum: & rem tuam ito curatum.*

ANTO-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Antonius Campanus.



QVIS in præpinguis ſimiæ rictu tantam excelſi, atque habilis ingenij indolem? Quis in ſordida ſtirpe tantam Fortunam non miretur? Antonium enim Campanum ruſtica mulier in agro feſſa opere ſub lauro peperit & aluit, puerum argutè loquacem ędituo ſacerdoti in famulatum, & diſciplinam tradidit. Ita feliciter perceptis literarum rudimentis, Neapoli mox pædagogus erudiendo nobili puero mercede quæſitus eſt. Tantos autem in ſtudijs Latinis quinquennio proceſſus fecit, vt inde Peruſiam tranſierit, ſcilicet vt in præclara frequentis gymnaſij luce, profitendo illuſtri famæ limen aperiret. nec multo poſt à Peruſinis ciuitate donatus, Pij ſecundi pontificis gratiam ſtudiorum ſimilitudine promeruit, à quo virtutis honore Interamnatium præſul eſt creatus, & à Paulo ſucceſſore locupletatus. ſed poſtremò eum Xyſtus immodicè Tiphernatiũ



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

tyrannis fauentem, quum multis vrbibus integra nominis auctoritate præfuiſſet, in exilium egit. Fato functus eſt apud Senas à Pij memoria ſibi gratiſsimas, inuidente non planè ſeni longiorem vitam comitiali morbo. Inter multa orationum, & multiplicis ſtyli opera quæ extant, auidiſsimè Bracij inclyti ducis vita perlegitur, digna poſteritate, niſi rerum geſtarum fidem adulatione poetica corrupiſſet.

### Platinæ.

*Campanus iacet hîc humili contectus in vrna,*
*Qui vaga, dum vixit, ſidera tranſilijt.*
*Hiſtoricus ſcripſit: dixit cecinitq́ue, nec alter*
*Philoſophus toto clarior in Latio.*
*Nil maius natura tulit: miracula cœli*
*Huius in ingenio cuncta ſtetêre viri.*
*Deſerto lugent Parnaſi fonte ſorores,*
*Et tumulus refugas lucis hic vnus habet.*
*Vos quibus ingenium, en quò contendimus omnes:*
*Virtutis ſola eſt gloria, quæ ſupereſt.*

### Politiani.

*Ille ego laurigeros, cui cinxit, & infula crines*
*Campanus, Romæ delitium, hîc iaceo.*
*Mî ioca dictarunt Charites, nigro ſale Momus:*
*Mercurius niueo tinxit, vtroque Venus,*
*Mî ioca, mî riſus, placuit mihi vterq; Cupido,*
*Si me fles, procul hinc quæſo, Viator, abi.*

### Latomi.

*Campani ad tumulum ſedet, & facundia muta eſt:*
*Quo cum nempe viro tota propè interijt.*
*Aut ſi quid loquitur, triſte eſt, & flebile, linguam*
*Contenta in cladeis expediſſe ſuas.*

EMA-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Emanuel Chryſoloras.



EMANVELIS Chryſolorę qui primus Gręcas literas varijs Barbarorum irruptionibus expulſas, poſt ſeptingentos annos in Italiam reportauit, tanta fuit in docendo liberalis ingenij humanitas, vt eius præclara facies, prima inter Græcorum imagines illuſtri merito collocanda videatur: quanquam nulla extent, præter artis grammaticæ regulas, grauioris doctrinæ monumenta. In docendo enim nunquam feſſus, facilè in ſcribendo deſidioſus videri poterat, quum altera pars laudis exoptata noſtris vtili profeſsione peteretur. Is Byzantio emiſſus à Ioanne Imperatore, vt totius Europæ reges adeundo, pereunti Græciæ maturam opem imploraret, officium quidem laborioſa peregrinatione ita impleuit, vt in Italia ſubſiſteret, Græcia ſcilicet pręſenti metu liberata: cum Ta-



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

merlanes terror Orientis, Baiazetem Othomannum à terribili celeritate fulguris cognomen adeptum, ad Stellam montem viuum cepiſſet. Itaque Chryſoloras diro Græciæ hoſte ſublato lætus, Venetijs primùm, & mox Florentię, Romæque, ac demum Ticini euocante ingentibus præmijs Ioanne Galeacio principe, Græcarum literarũ ſtudium excitauit, tanta felicitate, vt ex eius ſchola, ſummæ nec ideò interituræ laudis ingenia prodierint: in queis fuêre Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Philelphus, Guarinus, & Pogius. Poſtremò, quum ad tollendam pſeudopontificum controuerſiam, indicta ſynodus tanti ſpectaculi cupidum exciuiſſet, exauctorato Balthaſare Coſſa, Conſtantiæ interijt: cuius tumulum Pogius his carminibus exornauit.

*Hic eſt Emanuel ſitus,*
*Sermonis decus Attici:*
*Qui, dum quærere opem patriæ*
*Affectæ ſtuderet, huc ijt:*
*Res bellè cecidit tuis*
*Votis Italia, hic tibi*
*Linguæ reſtitutit decus*
*Atticæ, ante recanditæ.*
*Res bellè cecidit tuis*
*Votis Emanuel, ſolo*
*Conſecutus in Italo*
*Æternum decus es, tibi*
*Quale Græcia non dedit,*
*Bello perdita Græcia.*

Latomi.

*Illuſtres inter doctrinæ laude Latinos,*
*Quem primum Argiuos conſpicis ante ſuos:*
*Ille eſt Emanuel, peritura ex Hellade mœſtas*
*Qui primus Muſas tranſtulit in Latium.*
*Quam ſedem vt melius ferrent et iam quoq; amarent,*
*Miſcuit hic ſtrictis pallia lata togis.*
*Vt qui ſit veſtem modò non indutus vtranque,*
*Sit dignus neutro protinus ille choro.*

BESSA-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Beſſarion.



IN celeberrimo gentium omnium Concilio, quo Florentiæ diſceptantibus Græcis & Latinis, præſidenteque Eugenio, Chriſtiani dogmatis fides publici conſenſus authoritate firmata eſt, Beſſarionis Niceni mirifica virtus Senatorij ordinis ornamenta promeruit. Datum eſt enim honori totius Græciæ ab antiqua pertinacia diſcedenti, vt duo eius nominis, Iſidorus ſcilicet atq; Beſſarion in ſacra purpura conſpicerentur. ſed in Beſſarione virtutes omnes vſque adeò præcellenti temperamento, concentuque ad admirationem reſponderunt, vt nemo eo Chriſtiana probitate ſpectatior, nemo admirabilior doctrina, & nemo deniq; generoſis moribus ornatior atq; ſplendidior, hoc ipſo à morte eius ſexaginta annorũ curriculo in Senatu conſpectus ſit. Senatoriã enim grauitatẽ,



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ore probo atque blandiſsimo condiebat: ac ipſam viri optimi famam, domi & foris, nitida ac hoſpitali diſciplina, & liberalis animi beneficentia tuebatur: quum ſubactæ Turcarum armis, & ideo concidentis Græcię ingenia, diu iactata mari & terris, apud eum certiſsimum ſalutis portum inuenirent, & qui in Academia nomen darent, eodem patrono atque hoſpite vterentur. Habitabat ſub Quirinali ad ſanctos Apoſtolos, deducebatur autem manè in Vaticanum non exculto quidem & numeroſo, ſed vno virtutis nomine maximè decoro comitatu: quandoquidem præclara Græcæ Latinæque linguæ lumina, peregrinorum requiſita oculis, circa eum in triuijs ciuium digito monſtrarentur. In his enim ſæpe conſpecti ſunt Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, Plethon, Philelphus, Blondus, Leonardus, Pogius, Valla, Sipontinus, Campanus, Platina, Domitius, nullo æuo perituri. quibus viris domi ſtipatus, vſque adeò extra inuidiam glorioſa ſui fama fruebatur, vt Eugenius, Nicolaus & Pius eum ſibi ſucceſſorem, ſi fas eſſet, adoptare percuperent: neque optimè de Republica merito, Senatorum ſtudia deerant. ſed Paulo morte ſublato, in comitijs fatalis caſus tantæ ſpei Fortunam auertit. Ferunt enim tres ſummæ authoritatis Cardinales, quũ eo decreto, vt eum pontificẽ ſalutarent, abditum in cella conclauis adiſſent, nec admitterentur à Nicolao Perotto ianitore, quòd tum vir ineptus lucubranti parcendum diceret, vſque adeò ſtomachatos, vt ſeſe indignanter auertentes, reſponderẽt. Ergo nec prenſanti, nec roganti quidem, ſumma dignitas erit inculcanda, vt quum è cœlo ſuffragia expectet, ſuperbis demum ac ſtolidis ianitoribus pareamus? ſtatimq; ſuffragia Xyſto detuliſſe, quo repentè renunciato, adoratoque, Beſſarion dixiſſe fertur: Hæc tua, Nicolae, intempeſtiua ſedulitas, & tiaram mihi, & tibi galerum eripuit. Nec multo poſt cum honore legationis in Galliam eſt ablegatus, quòd Xyſtus noua licentia Pontificatum nomine principatus gerendum ratus, liberè, & grauiter, religioſeque ſententias dicentis vultum non perferret. Sed Beſſarion, dum è Gallia rediens concepto morbo Rauennæ ſubſtitiſſet, ſeptuageſimuo ſeptimo ætatis anno moritur. Funus autem Romæ celebratum in templo Apoſtolorum, vbi marmoreum tumulum, viuens ſibi cum hac Græca inſcriptione extruxerat. hanc ſic vertit Maioranus Salentinus.

*Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa*
*Venerat vnde olim ſpiritus aſtra petet.*

Maiorani.

*Viuens adhuc feci hoc ſepulchrum corpori*
*Beſſarion, ad Deum remittens ſpiritum.*
*Me docta genuit Græcia, at honores dedit*
*Vrbs Roma, quæ mihi perpetuò eſt patria.*

*Iani*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

### Iani Vitalis.

*Non tibi ſit laudi ſanctum celebraſſe Platonem,*
*Caſtaque Socraticæ frena pudicitiæ:*
*Non quòd virtutum exemplum, quod lumen honoris,*
*Quòd Sol extinctæ religionis eras:*
*Verùm quòd per te migrauit Græcia Romam:*
*Et didicit Latios Attica Muſa ſonos.*
*Per te hinc Romanas miratur Tybris Athenas*
*Argolicam & Romam Græcia Beſſarion.*

### Latomi.

*Damna quis amiſſæ ſi neſciat Helladis, vno*
*Maxima metiri Beſſarione poteſt.*
*Qui ſi Romanas eſſet moderatus habenas,*
*Sortitus noſtrum poſt ſua fata Pium,*
*Secula vidiſſent ſummum par illa virorum,*
*Quale nec vlla prius hora vel ora tulit.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Georgius Trapezuntius.



GEORGIVS Trapezuntius in Creta natus, quòd paternam originem e Pontica celebri vrbe duceret, vetuſtæ patriæ nomen aſciſcere, quàm natale ſolum fateri maluit. Is Græcorum ferè primus Romæ eo tum ſeculo renaſcentibus literis, qui Græca feliciore ſtylo in Latinum verterit exiſtimatus eſt, vti liquidiſsimè conſtat ex Ariſtotelis, ſacriſque Euſebij Cæſarienſis operibus, & ex rhetoricis præceptis Hermogenis. Erat enim ingenio ad lucubrandum maximè valido, vehementiq;, ſed vti mox apparuit, tetrici liuoris pleno. nam quũ ſe Peripateticum profiteretur, vnumq; Ariſtotelẽ extollendo celebraret, vſq; adeò ſuperba aure fuit, vt nec diuini quidem Platonis ingeniũ laudari pateretur: cuius etiã dogmata & mores peracerbè ac inſolenter edito famoſo volumine laceraret. Sed Beſſarione, generoſa eruditione, illuſtrique facundia Platonem defendente,

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

dente, Georgius vim tanti fluminis ſuſtinere non potuit, quum publica inuidia deflagraret, quòd ſummæ authoritatis philoſophum, magiſtrumque ſanctioris vitæ, ac ideo Chriſtianæ diſciplinæ proximũ, impio ac inceſto ore proſcidiſſet. Habitauit iuxta Mineruam, honeſta domo ſibi & poſteris extructa, ad diui Mauri minores obeliſcos, ducta vxore, ſuſceptoq; filio, ſed non eadem felicitate in literis educato. Is enim nomine Andreas, paternas lites excipiens, Theodoro Gazæ, tanquam Georgij patris laudi decus malignè ſubtrahenti, reſcripſerat, ſed Theodorus eam recriminandi libidinem, rabiemque facilè contempſit. Porrò Georgius ad exactam ſenectutem perueniſſe fertur: ita vt repueraſcenti, & propemodum deliro, memoria tantarum rerum elaberetur, & circuiret Vrbem ſolus obtrito in pallio pileatus, & nodoſo ſcipione vacillantis gradum ſuſtinente. Andreæ filia hæres Fauſto Madalenæ Romano, poetæ lepido collocata eſt. Hic multa de Georgij proſoceri doctrina, & litium acerbitate narrare ſolebat, cum Leoni ab amœnitate ingenij gratiſſimus in Academia floreret, ſed is antè diem clade Vrbis interijt.

Incerti.

*Hac vrna Trapezuntij quieſcunt*
*Georgij oſſa, parum Deis amici,*
*Quòd acri, & nimium procaci lingua*
*Platonem ſuperis parem petiuit.*

Latomi.

*Quum nomen tumulus meum loquatur,*
*Qui ſim, vel fuerim, vel hìc ſepultus*
*Dormiam, an vigilem, rogare noli,*
*Et turbare meam, precor, quietem.*
*Nam cur ingenij tot illa noſtri,*
*Tibi, inquam, monumenta publicaui,*
*Quam nunc ne fieres mihi moleſtus,*
*Atque, me melius, mea inde noſces?*
*Nam vita incolumi, valens, videnſque,*
*Amiſi omne penu mei cerebri,*
*Inſectando malum Platona. ſed tu*
*In crucem, qui iterum facis, Platoni*
*Vt miſer malè vapulem, ito, abito.*

# Theodorus Gaza.



THEODORVS Gaza Theſſalonicę honeſto loco natus, Amurathe Græciam omnem victricibus armis quatiente in Italiam venit, acumine, fertilitateque ingenij nemini ſecundus, quum Græcos omnes linguæ peritia, eruditoque iudicio ſuperaret. Victorino autem Feltrenſe magiſtro vſus, vſque adeò copioſè & diligenter Latinas literas didicit, vt longè omnium Latiniſsimè ſcriberet, nec planè dignoſci poſſet, an exactius, & certius ab eo Latina Græcè, an ipſa Græca Latinè verterentur. Hiſtorias enim Ariſtotelis de Animalibus, & Theophraſti de Plantis, ita Latinas fecit, vt Romanę linguę facultatem, quum noua vocabula ſolerter effingeret, audaci, ſed generoſa translatione locupletarit. Tanta porrò felicitate librum Marci Tullij de Senectute Gręcum reddiderit, vt peritiſsimi pręter adęquatos ſenſus, ipſam quoque Ciceronis eloquentię Maie-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Maieſtatem, ſcitè, & grauiter repræſentatam admirentur. Tranſtulit etiam Problemata Ariſtotelis, & Hippocratis Aphoriſmos, vt præſtantiſsimis authoribus ac perſpicuam fidem, nec obſcurè ad ſalutem humani generis ſua dignitas redderetur. His vigilijs ſacerdotium in Magna Græcia commendante Beſſarione promeruit, quod certè ſatis eſſet moderato, frugique homini, & aduerſus omnis luxuriæ voluptates inuicto, niſi neglecta ratione totius redditus rapacibus Græculis & Brutijs rei familiaris curam demandaſſet. Nouiſsimè quum nobiliſsimas lucubrationes in membranis accuratè perſcriptas, Xyſto Pontifici detuliſſet, nec pecunia, vel ipſius librarij præmio digna redderetur, indignatus ſubagreſte iudicium, Effugere hinc lubet, inquit, poſtquàm optimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordeſcunt, atque ita in Brutios ad ſacerdotij ſacram ſedem contendit. Nec multo poſt planè ſenex fato functus eſt, nec iniqua quidem ſorte, quum in Græcia natus, & educatus in Italia, tanquam de vtraque lingua bene meritus in Magna Græcia tumularetur.

Pontani.

*Sume lyram, dic Muſa modos, dum cōdimus vmbram:*
*Et puer & coluit numina veſtra ſenex.*
*Indignus tellure, Deos Theodore petiſti,*
*Sera quidem, tamen eſt longa parata quies:*
*Virtute, ingenijque bonis hoc ipſe paraſti,*
*Vt cœli aſpiceres aurea tecta ſenex.*
*Nos artus terra tegimus, tu caſte ſacerdos*
*Da requiem, æternum iam Theodore vale.*

Michaelis Marulli.

*Hic Gazes iacet, & Gazæ Sophia addita mater:*
*Alterutrum quoniam mors rapere haud potuit.*

Politiani.

*Heu ſacrum caput occubuit Theodorus, et hora*
*Vna obiere omnes relliquiæ generis.*
*Nec tamen hoc querimur, nimis eſt potuiſſe videri,*
*Non erat hic noſtro tempore dignus honos.*
*Hoc dolet heu, quòd neutra patri eſt nunc lingua ſuperſtes,*
*Quæ mittat iuſtas Manibus inferias.*

Eiuſdem.

*Cùm terram hinc noſſet Theodorus, et aera, et vndas:*
*Iam reſtant, inquit, ſidera: terra, vale.*

Pierij Valeriani.

*Roma olim abſtulerat Graiæ decus omne Mineruæ,*
*Siue opus ingenio, ſiue opus arte foret.*
*Gaza autem, Argiuæ clariſsima gloria gentis,*
*Reddiderat patriæ nunc ſpolia illa ſuæ.*
*Dumque pari Auſoniæ conatu conſulit, & dum*
*Muſarum & Linguæ dux vtriuſque viget,*
*Sublatus fato traxit ſecum omnia, & vno hoc*
*Spes Italûm, & Graiûm, fama cadente, cadunt.*

e

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Latomi.

*Ille Deûm munus (fer thus, & liba Sacerdos)*
*Atque adeò hîc linguæ Gaza vtriuſque, iacet.*
*Græcia quem genuit, ſuſcepit Roma: ſepultum*
*Communi titulo Græcia magna fouet.*

# Argyropylus.



IOANNES Argyropylus Byzantius eodem Turcarum impetu Græcia eiectus, apud Coſmum Medicem glorioſa liberalitate literis fauentem in honore fuit, tanta nominis exiſtimatione, vt Petro filio, nepotique Laurentio præceptor datus, loco parentis haberetur, publicæ verò Florentinæ iuuentuti Græcos authores enarraret. Grati idcirco animi erga Mediceæ gentis proceres vigiliarum præclara extant monumenta, conſecrata in ea domo altrice veræ virtutis. Ariſtotelis enim Naturalia atque Moralia generosè tranſtulit; ita applaudente Gaza

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

te Gaza vetere ſodali: qui diuerſas Ariſtotelis partes vertendo deſumpſerat, vt quædam ab ſe pariter tranſlata combureret, ne amiciſsimi hominis creſcenti famæ officerent, ſi ad æmulationem odioſa comparatione certaretur. Latina enim vbertate facundior, & Græcorum modeſtiſsimus hoc facile dabat elate ambitioſo, & amplioris Fortunæ percupido, quod ipſe omnis ſemper lucri, & pręſentis tanquam euanidæ laudis contemptor extitiſſet. Argyropyli autem ſermones, cum faſtidioſi, tum graues eruditis auribus eſſent, & tum maxime, quũ Ciceronem Græcas ignoraſſe literas illoto ore prædicaret. Peſtilentia demum Etruriam euaſtante, Romam venit, profitendoque Græcè Ariſtotelem, ita optimis ſtipendijs vitam traduxit, vt tota ſubſtantia quotidianis ſumptibus æquaretur, & in extremo vitæ actu iocatus, ditiores amicos, æris alieni, condito teſtamento hæredes relinqueret. Vini & cibi æquè auidus & capax, & multo abdomine ventricoſus, immodico melopeponum eſu, autumnalem accerſiuit febrem, atque ita ſeptuageſimo ętatis anno ereptus eſt. Ioannes autem Laſcares eundem ciuem & magiſtrum hoc Græco carmine laudauit, quod Maioranus Laſcaris diſcipulus ſic vertit.

*Hoc Argyropylus, pâtria procul alta ſophiæ*
*Dogmata qui coluit, conditur in tumulo.*
*Dat patria huic nomẽ, ſacrum dat Roma ſepulchrum,*
*Neſcio quæ potior huic fuerit patria:*
*Illa genus, nomenq́ue dedit, verùm inclyta Roma*
*Nutriuit, coluit, perpetuoq́ue tenet.*

Latomi.

*Hac Argyropyli teguntur vrna*
*Ambuſti cineres, & oſſa tantùm,*
*In qua nec cineres, nec oſſa tandem*
*Ætas inueniet: ſed ampla nunquam*
*Fama deſtituet locum ſepulti:*
*Quæ per docta hominum volabit ora,*
*Totumq́ue afficiet ſtupore mundum,*
*Donec Græcia Turcicos triumphos*
*Indigno ſtomacho feret coquetque.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Marullus Tarchaniota.



MARVLLVS Tarchaniota Grȩcus, inter alarios equites deſcriptus, Nicolao Ralla Spartano duce in Italia militauit: ita labore ac ſtudio duri Martis cum tenerrimis Muſis per interualla feliciter adæquato, vt non Græco tantùm, ſed Latino carmine admirandus euaderet. Nam Theodori ac Argyropyli decora veſtigia ſubſecutus, nihil iam Græcè doctum eſſe ſatis ad laudem putabat, niſi tota patrĳ ſermonis facultas Romanæ facundiæ iungeretur; propterea Florentię Alexandram eruditi ingenĳ puellam vxorem duxit, Bartholomæi Scalæ vexilliferatus honore conſpicui filiam. Hic eſt qui paulo antè Græcorum nomini fauens, cum Politiano eius gentis ingenĳs infeſto, maledicentiſsimis epiſtolis lites extenderat. Verùm Marullus inquieto ingenio nullibi ſedem ſtabilem nactus, in curſu ſtudiorum ac itinerum ſemper fuit; transferendique munus tanta

conten-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

contentione,famaq; ab alijs ſuſceptum ſemper contempſit, quaſi minimè par, aut certè nobilis gloria periculoſo opere peteretur, grauiora idcirco meditantem poſt editos Epigrammatum libellos,quibus Apollo pereleganter arriſerat,in Volaterrano Cecina amnis ſolito inflatior, fallente equum cæco vado, violenter abripuit,eo die quo Ludouicus Sfortia captus, vt ferrato in carcere miſer expiraret,in vlteriorem Galliam eſt perductus. Luxêre eum pari mœſtitia Græci Latinique.

## Pontani.

*Hoc vacuum tibi Pierides ſtatuère ſepulchrum*
*Et Graia, & Latia clare Marulle lyra.*
*Ipſe etenim Aonia in ſylua, atque Heliconis in antris*
*Lætus agens, illic ocia grata teris.*
*Illic formoſæ ludunt ad plectra puellæ,*
*Et tecum ad choreas carmina lecta canunt.*
*Et tibi reſponſant ſyluæ, Peneiaque antra,*
*Plaudit & Ogygio roſcida ripa lacu.*
*Nil præter nomen tumulo, per opacæ vagaris*
*Culta per Elyſium docte Marulle nemus:*
*Hinc tibi ſe ad cantum adiungit formoſa Corinna,*
*Cantat & ad calamos Delia culta tuos:,*
*Illic compoſitos exercet Cynthia ſaltus,*
*Exercet raros Lesbia blanda choros.*
*Nec Parca eripuit, Muſæ rapuere Marullum,*
*Arnidi ne fieret grata rapina Deæ.*
*Sis felix igitur Muſis comes, & tua Muſæ*
*Ambroſio foueant membra adamata ſinu.*

## Andreæ Dactij.

*Ingenio Phœbo, belli par munere Marti,*
*Graia domus Cecina buſta Marullus habet.*

## Eiuſdem.

*Euaſit toties hoſtilia tela Marullus,*
*Vt Cecinæ tumidis obrueretur aquis.*

## Pierij Valeriani.

*Cur adeò fluctus contra conaris? in vndis*
*Oppetijſſe horres cur Helicone ſatus?*
*Igneus vt gelido vigor extinguatur in amne*
*Fortè times? atqui, ſæpe fit ignis, aqua.*
*Non hoc, inquis, habet male me: quòd miles & acer*
*Sim, doleo: ſub aquis militem obire pudet.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Ah, ne indigneris, miles licet impiger, iſtra*
*Hac peruulgata fortibus ire via.*
*Hac pius Æneas, & bello magnus & armis,*
*Hac Romæ fertur Romulus iſſe pater,*
*Sfortia ſummus honos belli, inuictusq́ Robertus,*
*Hac quâ tu ad ſuperos tranſilière polos.*
*Debentur cœlo fortes, cœlo ignis & aer,*
*Vndaq́ue ſuppoſita eſt: infima terra tenet,*
*Scandenti à terra ad cœlum ſtat limes in vndis,*
*Primus, age hac cœlum ſcande Marulle via.*

## Tibaldei.

*Hic ſitus eſt celebris cithara gladioq́ Marullus,*
*Qui Thuſco (heu facinus) liquit in amne animam,*
*Neptune immitis: meruit ſi mergier ille,*
*Mergier Aonio flumine debuerat.*

## Latomi.

*Eſt aliquid leniſſe feras, fluuiosq́ ſtetiſſe,*
*Inq́ue opus arguta ſaxa animaſſe lyra.*
*Plus eſt imbelleis traxiſſe in caſtra Camœnas,*
*Ille ſit Amphion: iſte Marullus erit.*

DEME

# Demetrius Chalcondyles.



DEMETRIVS CHALCONDYLES diligens grammaticus, & ſupra Græcorum mores, cùm nihil in eo fallaciarum aut fuci notaretur, vir vtique lenis & probus, ſcholam Florentiæ inſtaurauit, deſertam ab Argyropylo, & à Politiano deficientibus Græcis occupatam: ſed ambitioſo peracrique æmulo multis bonis maliſque artibus ſuggeſtus locum & nomen defendendi Demetrius ceſsit, Latina præſertim facundia inferior, & ob id rareſcente auditorio à iuuentute deſtitutus, quandoquidem vel apprimè doctus, facilè ieiunus & hebes, laſciuis & delicatis auribus videri poterat: quibus Politiani decantantis, & varios ſpargentis flores, iucunda argutaque vox & falſa comitas mira dulcedine placuiſſet. Sed manſit Demetrio honeſtus gratiæ locus apud Laurentium, vel infeſto, & obliquè ſemper inceſſente Politiano,



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

qui cum neminem è Latinis ſibi parem pateretur, Græcis ipſis eruditior exiſtimari volebat. Diuiſit idcirco munera Laurentius, vt æmulationis lites dirimeret: & filij præceptorum contentione ad diſcendum accenderentur. Sed eo principe virtutis eximię morte ſublato, Demetrius Mediolanum à Ludouico Sfortia accitus eſt, abducta ſecum vxore Florentia, è qua iam liberos ſuſceperat. Nec multo poſt profitendo perſcriptoque vtili volumine, rudimenta Grammaticę publicauit, quod Theodori, quanquam inſignis liber de arte eadem, vti prouectis & doctis ſcriptus, durior videretur. Vxor virili induſtria familiã regebat, ipſo ſene & literarum ſtudijs occupato: ſed ea libertas in mirè fœcunda vxore dubiam pudicitiæ famam fecit: quanquam tres filij ipſam veri patris effigiem ore Græco penitus referrent. Theophilus natu maximus iuuenis turbulentus, cùm Ticini Homerum profiteretur, nocturno, & petulanti certamine confoſſus interijt: & Baſilius mira ingenij indole, euocante Leone, vt in gymnaſio Romano iuuentutem doceret, paucis menſibus ex lenta febre contabuit. Seleucus verò natu minimus ad pubertatem non acceſsit. Cæterùm Demetrius octogenario maior, non planè miſer, quòd nihil de obitu Theophili occultante matre didiciſſet, Mediolani fato functus eſt, paulo antè quàm Galli Iulij pontificis & Venetorum armis Italia pellerentur.

Incerti.

*Viuens corona nobilis iuuentutis*
*Circundabaris vndequaque Demetri,*
*Dum oſtenderes iter per Atticos campos.*
*Certè beatus, ſi obtigiſſet morienti*
*Doctam videre tibi ſuperſtitem prolem:*
*Oculumque claudi languidum à tuis natis,*
*Aut hoc ſepulchrum lachryma illorum ſpargi.*

Michaelis Marulli.

*Dum ver Hymettium diu.*
*Nequicquam apis quærit vaga,*
*In os ſacrum Chalcondyli,*
*Et labra ſuauiflua incidens:*
*Heus, inquit, æquales bonæ*
*Huc huc adeſte ſedulæ,*
*Matrem videtis Attida.*

Latomi.

*Quid eſt quod vſquam ſit ſatis mortalibus,*
*Sui nec vlla parte cor quod torqueat?*
*Senex, nec abſque litterarum gloria*
*Vixi: at malorum hoc eſt catena longior:*
*Duriſque emuntur litteræ laboribus:*
*Et ſanè iniquis efferuntur præmijs.*
*Fœcunda coniunx, & domi perſtrenua,*
*Sui pudoris proximum eſt periculum.*
*Iam bis miſer, quòd quid ſit educatio,*
*Simulque ſcirem, quid mali ſit orbitas.*

 *Quare*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Quare referta cùm malis ſint omnia,*
*Vitam vt citò obeas leuiſsimis, pete*
*Quo tunc beatus, hîc quod haud vales, agas,*
*Ito, & precare mutuum Demetrio.*

# Marcus Muſurus.



MARCVS Muſurus genere Cretenſis, exactæ diligentiæ grammaticus, & raræ felicitatis poeta, in gymnaſio Patauino aliquan diu Græcos authores interpretatus, ſecunda perſpicacis ingenij fama ad integram doctrinæ maturitatem peruenit: ſed ſæua con iuratione externarum gentium afflictis bello Venetis inde exturbatus, ita tranquillum otium quæſiuit, vt Græco carmine diui Platonis laudes elegantiſsimè decantaret. Extat id poema, & in limine operum Platonis legitur, commendatione publica cum antiquis elegantia comparan-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

dum̃. Leone autem ingenijs illuſtribus pręclara præmia proponente, Romam venit. Nec multo poſt Manilio Ralla eruditi iudicij viro Græco morte ſublato, Archiepiſcopus Epidaurenſis effectus eſt. Eam autẽ ſecundę Fortunæ celeritatem, quaſi ab occultis fatis maiora pręmia monſtrarentur, immoderato animo tulit, ſic vt inſana vehementique ambitione percitus, nouum illum ſacratæ mitræ honorem nequaquam ingenij merito parem duceret, nulloque pudore præproperus ad purpuram aſpiraret, quum ſæpe quereretur, Græci generis neminem quaſi probro gentis lectum fuiſſe, quando Princeps in donanda purpura maximè liberalis, vno comitiali die ſupra triginta nationum omniũ delecta capita galero purpureo perornaſſet. Ab hac intempeſtiua ſiti cõtabuit corpus adeò celeriter, vt obrepente morbo intercute, vix oſtentatis mitrę inſignibus expirarit. In templo Pacis tumulatus eſt. Amiterninus autem Antonius ſepulchro hoc diſtichon inſcripſit.

*Muſure manſure parum, properata tuliſti*
*Præmia: namque citò tradita, rapta citò.*

Latomi.

*Arma Pelaſgiacas quaterent dum Turcica terras,*
*Inueherent culto barbariemque ſolo:*
*Quid facerent Muſæ? fugêre Helicone relicto,*
*Phocin & Aſcræum deſeruêre nemus.*
*Regna Latina petunt: & erat Muſurus in illis:*
*Hoſpitio vtuntur hoſpitis antè ſui.*
*Nunc etiam buſtum, grata pietate, ſepulti*
*Officij quauis ſedulitate colunt.*
*Theſpiacas frondeis circum, & Permeſſida laurum,*
*Et ſacro ſpargunt ex Helicone thymum:*
*Caſtalias lymphas aliæ: & cape munera dicunt,*
*Muſure, Aonij factus Apollo chori.*

IOAN.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ioannes Laſcares.



IOANNES Laſcares Græcorum ferè omnium, qui Othomannicis armis patria pulſi in Italiam confugerunt, nobiliſſimus atque doctiſsimus fuit. Stirpem enim ſanguinis incorrupti ad Imperatoris Conſtantinopolitani decus generoſis moribus referebat, vtpote qui ab ingenua educatione optimas literas imbibiſſet. Naufragum excepit Laurentius Medices, cui nihil antiquius vnquam fuit, quàm ingenia liberali beneficio deuinxiſſe. Is tum abſoluendæ Bibliothecæ ſtudio tenebatur. Ob id Laſcarem ad conquirenda volumina Byzantium cum legatione ad Baiazetem bis miſit: nec defuit honeſta petenti uſquam Barbarus imperator: quippe qui erat totius philoſophiæ ſtudioſus, Auerroiſque ſectator eximius: & de Laurentio priuatim tanquam de illuſtri cultore virtutis optimè ſentiret, cùm paulo antè

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Bandinum percuſſorem fratris fuga in Aſiam elapſum in catenis ad ſupplicium tradidiſſet, ſingulari quidem religionis, atque iuſtitię exemplo, quod ille immane ſcelus in templo auſus, mœrita pœna plectendus cenſeretur. Itaque Laſcares tutò abdita Græciæ perſcrutatus, cùm patriæ opus victoribus ceſsiſſent, nobiliora diuitijs antiquæ dignitatis volumina collegit, vt in Italia ſeruarentur. Tranſiuit demum in Galliam, legatumq; Ludouici regis apud Venetos egit: nec multo poſt Leone veteris amicitiæ nomine liberaliter eum attollente, nobiles è Græcia pueros adduxit inſtituto ludo in Quirinali, ne Græca lingua ſcitè loquentium ſoboles interiret. Valebat Latina facundia, ita vt verſus qui extãt perſcriberet, ſed adeò contumaci ſterilitate deſidioſus erat, vt in vertendo Gręca vix Polybij Caſtrametationem efflagitãtibus amicis expreſſerit, quòd id ſtudium recto an maligno iudicio, incertum, penitus damnaret. Verùm egregia cum laude præſtitit, vt Latini haberent emendatiora, quæ minore ipſorum labore verterentur. Honeſtæ facultates non certo rixæ reditu, ſed aliena liberalitate quæſitæ, vel in rem negligenti & ſumptuosè viuenti nunquam defuerunt, vt nonagenarius ferè ſenex articulari morbo deformatus, Romæ moreretur. Sepultus eſt in ęde Gothica diuæ Agathæ ſupra Suburram, fecitque ſibi Græcum Epitaphium, quod Maioranus ſic vertit.

*Laſcaris in terra eſt aliena terra ſepultus,*
*Nec nimis externam quòd quereretur erat.*
*Quam placidam, ô hoſpes reperit, ſed deflet Acheis*
*Libera quòd nec adhuc patria fundat humum.*

Tibaldei.

*Laſcaris hic Graiûm ſpecimen: ne crede cadauer*
*Illius eſſe ſub hoc marmore, ſed ſtatuam.*
*Altera quippe fuit Niobe dolor impius illam*
*Natorum, hunc podagræ tranſtulit in lapidem.*

Latomi.

*Laſcarus hic Graiæ doctrinæ & nominis hæres,*
*Vltimus ex illa gente domoque iacet.*
*Cum quo lugemus florem perijſſe Pelaſgûm,*
*Helladaque ingenijs obſoluiſſe bonis.*
*Damna tollendà nimis, ſed quæ maiora futura,*
*Huius ni pietas aduigilaſſet, erant.*
*Qui non contentus priſcos conquirere libros,*
*Italiam & tantis accumulaſſe bonis:*
*Semine Mygdoniæ pubis repleuit eandem,*
*Quos natiua penes linguaque voxque foret.*
*Queis tibi pro meritis Latium ſeſe obligat, illa*
*Dempturum patriæ barbara vincla tuæ.*

*RODVL-*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Rodulphus Agricola.



QVIS non te Rodulphe Agricola inuſitato, & planè portentoſo conſpirantium ſyderum concurſu natum eſſe fateretur, ſi vim cœleſtis tam variè radioſi luminis, non ſecus ac in aſtris curſum certior diſciplina deprehenderet? Hauſiſti enim Hebraicas Græcaſque literas vſque adeò ſtupenda celeritate, vt nequaquã Gruningiæ in vltima Friſia, ſed Hieroſolymis Atheniſque natus ac educatus à doctiſsimis crederêre. Latinas porrò tanta felicitate didiciſti, docuiſtiq;, vt exacta puritas, ac illa nobilis vbertas Romanæ eloquentiæ, noſtro cum pudore in ſqualenti aſperoque Oceani littore quærenda videatur. Viuent profectò in admirantium manibus tua illa, quæ auidè leguntur in Dialecticis Rhetoriciſque præcepta, & diuini ingenij carmina, quibus vel illuſtribus poetis numeros excuſiſti. Nos verò in magno vitæ tuæ deſiderio, aut numinum, aut certè ſy



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

derum inconſtantiam indignanter vſquequaque mirabimur, quæ tantis cumulatum muneribus terris tantùm oſtenderint, grauiore quidem iniuria humani generis, cum ille cœleſti aura fortaſſe dignior, in ſecundiſsmo fœcunditatis curſu raperetur. Defunctum Heidelberga Germaniæ vrbe gymnaſio clara, decuriones ſepulchri honore perornarunt. Hermolaus autem Barbarus apud Cæſarem legatus, inſcripto epigrammate ſupremum amicitiæ munus exoluit.

Hermol. Barbarus

*Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodulphum*
*Agricolam, Friſÿ ſpemq; decusq; ſoli.*
*Scilicet hoc vno meruit Germania, quicquid*
*Laudis habet Latium, Græcia quidquid habet.*

Latomi.

*Qui putat ingenÿs patriam conferre, Rodulphum*
*Agricolam, Latÿ dixerit eſſe ſoli.*
*Aut extra Italiam naſci minus eſſe beatum,*
*Hunc ipſum Friſium, qui putat, eſſe ſciat.*

*LEO*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Leo Baptiſta Albertus.



LEONI Baptiſtæ ex Albertorum familia Florentiæ clara, Politianus, audita eius morte, nobile encomuim cecinit: nos autem eius ingenij acumen, & ſtyli felicitatem in confragoſa materia plurimum admiramur. Nouum enim opus ędificatorię facultatis, et propter linguę inopiã valde impeditum, nec ſatis eloquẽtiæ capax, aggreſſus eſt, tanta facundia, vt imperitos obſcuro rudique eius ſeculo, & certa diſciplinæ luce carentes architectos in ſemitam rectiſsimæ rationis deduxerit, cum Vitruuij præcepta denſiſsimis obſeſſa tenebris illuſtraret, ac inſpectis antiquorum ædificiorum reliquijs, atque inde accurata dimetiendi ratione initiorum & finium ordinem deprehendiſſet, ita vt inopem & corruptis artibus incultam ætatem noſtram admirabili abditarum rerum copia locupletaſſe exiſtimetur. Scripſit etiam in pictura de Receſsibus & vmbris, lineisq;



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ex optices diſciplina, quibus rerum imagines in eodem ſitas plano, tanquam remotas & extantes, erudita manus exprimere conſueuit. Ex ſpeculo quoque reflexis rediјs: nam ipſius effigiem arguto penicillo pereleganter eſt aſſecutus, quam apud Pallantem Oricellarium in hortis vidimus. Extat etiam Apologorum vrbanæ grauitatis libellus, quo vel Æſopum inuentionis amœnitate ſuperaſſe iudicatur, & Momus ſummę gratię dialogus, ac ideo cum antiquis operibus multorum ſententia comparandus.

### Iani Vitalis.

*Albertus iacet hîc Leo, Leonem*
*Quem Florentia iure nuncupauit,*
*Quòd princeps fuit eruditionum,*
*Princeps vt leo ſolus eſt ferarum.*

### Latomi.

*Quiſquis Barbarus es, rudiſque Phœbi,*
*Hoc ſaxum pedibus caue profanes,*
*Quod ſanè eximium tegit Leonem,*
*Peius angue tuum genus peroſum.*
*Nam Muſis ſacer eſt, easque ſecum*
*Vel hîc in tumulo moratur oris*
*Docti blanditijs, vel ipſe cum illis*
*Indagat Clarios comes receſſus.*
*Doctis multiiugam referre prædam*
*Non rarò vnde ſolet, ſtupente Apelle,*
*Atque Vitruuio ſagacitatem.*
*Sed quid te dubium morer? Leonem*
*Albertum ſatis ij loquuntur vngues.*

LAV.

# Laurentius Medices.



SALVE heros optime, maxime ingeniorum liberalis educator, artiumque omnium & elegantiarum pater, ac vnicus veræ virtutis æſtimator. Salue iterum immortale præconium merite: cùm te vigilanter excubante, non Etruria modò tua, ſed omnis quoque Italia opulenta pace floruerit: ſcilicet vt mox orbata te cuſtode & vindice, inteſtina fataliq́ue inſania, & externa immanitate vaſtata concideret. Sed ſalue itidem, qui luculenter & fouiſti Muſas, & feliciter exercuiſti. Præclarus vtique Vatum hoſpes & æmulus, ideoque cœleſti munere nomini tuo debita virenti laurea digniſsime: niſi hæc fortuna tua putetur inferior, quando Coſmum auum eruditi ſeculi decus gloria ſuperaſſe ſummè arduum videri poterit: niſi Leonem decimum, ad ornandam virtutem cœlo datum, felici prole genuiſſes.



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

## Iani Vitalis.

*Nil mortale vnquam vita tibi contigit omni*
*O Patriæ pater & decus immortale tuorum*
*Laurenti, niſi cùm te mors immitis ademit.*
*Illa quidem non te vitali lumine caſſum*
*Extinxit, verùm quicquid ſanctiq; boniq;*
*Orbis habet, tecum ſimul abſtulit: aurea quando*
*Secula fœdauit ſcabra rubigine ferri,*
*Non tamen vlla vnquam viderunt tempora dignum*
*Te magis, & titulis & maieſtate decoro,*
*Cui magnus Coſmus auus, & cui filius altum*
*Maximus ille Leo princeps Romanus honorum*
*Atque æternarum laudum erexère theatrum.*

## Myrtei.

*Occidit vt fato Medices Laurentius, orâ*
*Conuertens in ſolicitas Florentia Muſas*
*Dixit, Abite, aliud nunc vobis quærite tectum.*
*Cui Muſæ: Nos hoſpitium ſanè perdimus vſquam*
*Quærendum: Sed tu Medice Florentia rapto,*
*Amiſſum inuenies nuſquam: quin deſinis ipſa*
*Eſſe illud decus & Latij Florentia lumen.*
*Nos erimus Muſæ, tum ſi quid noſtra parente*
*A Ioue dat pietas ſperare, videbimus vllo*
*Tempore poſt heroa Deorum in ſede ſuprema*
*Immortalem alti nutu Iouis aſtra regentem.*

## Latomi.

*De te nil dicam: ſed enim ſi dixero, quantum eſt*
*Vel de Dijs genitum, vel genuiſſe Deos?*
*Vatibus Auſonijs mandatum hoc muneris eſto:*
*Carpere nam laudes eſt violare tuas.*

PETRVS

# Petrus Leonius.



PETRVS Leonius Spoleti natus, multo acumine perſpicacis ingenij, eruditaque facundia, inter medicos primus ferè prolato Galeno, verum medicinæ limen aperuit, quum in clariſsimis Italiæ gymnaſijs profitendo, exercendoque artem ſumma nominis authoritate, non ex fœculentis Arabum lacunis: ſed ex puriſsimis Græcorum fontibus haurienda præcepta artis, atq; remedia docuiſſet. Is erat validis diſciplinarum omnium pręſidijs inſtructus, ita vt Aſtrologię & veteris item Magiæ peritiſsimus haberetur: quod de euentu grauiſsimarum rerum diuina prædictione iudicare conſueuiſſet. Conſtat enim eum amicis ſæpe dixiſſe, ſibi ſubitæ mortis periculum in aqua portendi: vnde flumina crebraſque nauigationes formidaret, quam ob cauſam, quum alia omnia ad quæſtum, & decus ſecunda retineret, è Patauio, Venetijſque in Vmbriam &



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Spoletum emigrarit, vt mutata ſede, nauigationum occaſiones effugeret. Sed Fata vbique viam inueniunt. Inde enim Laurentio Medice ſuprema valetudine tentato, Florentiam accitus, adeò inani, aut certè fatali ſpe concepta de ſalute decumbentis, occultans atrocis morbi impetum contempſit, vt oblata ab alijs ex arte remedia reijceret, & inſurgentis naturæ viribus nihil verendam morbi vim, facilè ceſſuram polliceretur. Verùm non diu pòſt ab ea cunctatione, detecta malignitate pituitæ, ægroq; ſenſim deficienti, ſuperuenit Lazarus Placentinus illuſtris medicus, à Ludouico Sfortia Ticino miſſus, ſera quidem afferēs remedia: ſed obliquè Leonium iam toti familiæ inuiſum perſtringens, quòd neglectis morbi initijs, facillimæ curationis occaſiones temerè contemnentis imprudentia deperiſſent. Per hunc modum expirante Laurentio, Leonius ex infamię dolore commota mēte, exitialem inſaniam, lugentiumq; familiariū lethale odium contraxit, ita, vt in proximæ Caregio villæ puteum, ſponte, an illata vi incertum, præceps datus mergeretur. Fuère qui Petri Medicis feruida ira mortem patris more barbaro vindicantis, id ſcelus admiſſum crederent, vti Actius Syncerus Etruſco carmine deplorauit. Sed nullum omnino præclarius patratæ necis argumentum exortam inde ſuſpicionem fouet, quàm ipſius authoris, par ſceleri ad iuſtam pœnam interitus, quum ille à clade Gallorum ad Lyrim aufugiens, in oſtio fluctibus naue obruta, fœdè perierit.

### Iani Vitalis.

*Dum timet aſtrologus ſua Fata Leonius vndas,*
*Et fugit è ripis magne Timaue tuis:*
*Illa eadem fruſtra fugientem aduerſa ſequuntur,*
*Qua rapitur tacita nobilis Arnus aqua:*
*Hic tu florentem medicis Florentia curis*
*Præruptum, ô facinus, corripis in puteum:*
*Aſtra repræſentat ſic funera, dum fugit ille,*
*Tutius hunc poterant quàm latuiſſe poli.*

### Latomi.

*Pallet, conſpectis vbicunque Leonius vndis,*
*Et velut à certo protinus hoſte timet.*
*Scilicet has tacitè didicit monſtrantibus aſtris,*
*Moliri vitæ Fata ſuprema ſuæ.*
*Cur ſed vbique timet? cur omneis denique, ſemper?*
*Aſtra cauendi etiam cur tacuère viam?*
*Annon terra ſuos gignit, licet arida, fonteis?*
*Et cœlum pluuias non quoque ſeruat aquas?*
*Forſitan has aliquo in puteo tibi Fata reponunt:*
*Nec poteris clarè cum Phaetonte mori.*
*Sed fugis Euganeos, Padumq́, & aquoſa Timaui:*
*Stulte, fuge, & longum dedecorare metum.*

*HER-*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Hermolaus Barbarus.



NVLLA hercle cuiuſquam defuncti inſignis effigies, maiore merito, quàm tua in Muſæo ſpectatur Hermolae eruditorum omnium, omnibus numeris longè doctiſsime. Nouocomenſibus enim C. Plinium Secundum ciuem ſuum, ab imperitis inuidioſè ſurreptum, erudita, præclaraque ſententia reddidiſti, eumque eductum tenebris, & multo ſquallentem ſitu, immenſo radiantis ingenij tui lumine penitus illuſtraſti: ſcilicet, vt recepta antiqua dignitate ſibi perſimilis in lucem prodiret, ac ea omnino quæ in foro à Comenſibus erecta eſt, dignus marmorea ſtatua ſpectaretur. Sed tibi publico nomine debemus omnes, quòd Themiſtium tenebroſis Ariſtotelis operibus viuido ſplendore lucem afferentem, Latino ſermone donaueris, vt quantus eſſes in Phyſicis, Dialecticis, atque Rhetoricis, tot nobiles exuberantis ingenij fœturæ teſtarentur:

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

nec ſatis fuerit impeditiſsimam illam Geographiæ ſyluam, inaceſſam multis nulliſque penitus exploratam, glorioſo labore penetraſſe, niſi ex ipſo telluris, & naturę germinantis gremio ſingulas ſalutares, & noxias herbas, traducto, ac explorato Dioſcoride, ęgris mortalibus demonſtraſſes. Sed qui linguarum & diſciplinarum omnium difficultates euaſiſſe videris, longè maximo etiam inuicti animi præconio, infeſtam virtuti tuæ inuidiam generosè ſuperaſti, quum te ſpecioſis honoribus perfunctum, & tum ſupremam idcircoque grauiſsimã legationem Romæ agentem, Innocentius Octauus, admiratione virtutis, Aquileienſem Patriarcham renuntiaſſet, vel non probante Senatu Veneto, qui nihil, vel inuſitatæ virtuti, extra leges tribuendum cenſuerat. Tuliſti quippe æquo animo ſuffragiorum ſeueritatem, quum ex eo tamen pari merito tibi purpura pararetur. Sed mors ante diem irrepſit, & peſtilenti quidem morbo properata, adeò vt quod à Pico, Politianoque Florentia laboranti per diſpoſitos equos mittebatur miræ poteſtatis antidotum, veneni celeritate præuerterit, ſcilicet, vt nimis ſeuera patria optimi ciuis oſſa non haberet, quæ ſub colle hortorum ad Flumentanam portam ſepulchro condita è Campo Martio, ab erudita Romana iuuentute ſalutantur.

*Barbariem, Hermoleos Latio qui depulit omnem.*
*Barbarus hîc ſitus eſt, vtraque lingua gemit.*
*Vrbs Venetûm vitam, mortem dedit inclyta Roma,*
*Non potuit naſci, nobiliuſue mori.*

## Pierij Valeriani.

*Peregrine ciuis, nate in vrbe, & aduena,*
*Quicunque adoras templa Muſarum ſacra:*
*Huc in beatæ, & ſi occupatus, Vrſulæ*
*Diuerte, cultum hinc à ſiniſtra ſuſpice*
*Inter ſacratos hinc & inde Præſules,*
*In purpurata veſte nobilem virum.*
*Quid fronte prima iam ominaris maximum?*
*Viua hæc imago eſt Hermolai Barbari,*
*Aciem ſacraſti, ne profana videris,*
*Candente felix ære lumen excute.*

## Latomi.

*Quid ſtas, & titulum ſtupes, Viator.*
*Hoc ſub ſaxo aliquem ratus ſepultum*
*Gallum, Theutonicum, Scotum, vel Anglum,*
*Genteis quas modò Barbaras vocamus?*
*Erras. Barbarus Hermolaus ille,*
*Ille Barbarus, vtriuſque linguæ*
*Venus, delitiæ, lepor, voluptas,*
*Quo nemo melius tenebat omneis*

*Germa-*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Germanæ numeros locutionis:*
*Hoc ſub marmore, nunc cinis, recumbit:*
*At non mortuus: immò mortis ipſo*
*Victurus ſcelere vſque, & vſque, & vſque:*
*Rumpatur Venetus licet Senatus.*
*At ſi te nouitas moratur huius*
*Vocabuli, ratione ſcito factum,*
*Qua ſuos Domini ſolent Quirites*
*Inſignire Duces, vt Africanos,*
*Cimbros, Pannonicos, Iſauricoſque:*
*Victarum puta gentium trophæis.*
*Sic & barbarie per hunc Latinis*
*Pulſa finibus, & iugum ſubacta,*
*Iure Barbarus optimo vocatur.*

# Georgius Merula.

IN Georgio Merula ab aquis Statiellis Alexādrino, ingenium ſubagreſte, atque ideo ad lucubrationum labores maximè validum, nulliſq; obiter voluptatum illecebris laceſſitum emicuit, paſsim florentibus Græcarum literarum ſtudijs, quarum felici ſocietate antiqui decoris ornamenta Latinæ facultati tradebantur. Ob id variꝫ eruditionis laude celebratus, quadraginta amplius annos, cum Venetijs, tum Mediolani iuuentutem docuit: in alienos ſæpe libros acerbius cenſuram exercens, quum ſæpe Calderini, Galeotti, & Politiani errata, vel certè prætermiſſa notare contenderet, publicatis Annotationum libellis, quibus latè nomini fama apud ſtupentes grammaticos quæreretur. Edidit etiā tranſlationem Dionis de Traiani geſtis: ſed petenti Ludouico Sfortiæ hiſtoriam perſcripſit, Vicecomitum principum origines & bella continentem, ſobrio quidem ſtylo, ac ex omni parte Latino, ſed in quo lectores minus auſteri peramœna diuerticula paſsim requirant. Cæterùm poſtremi eius hiſtoriꝫ libri meo iudicio iucundiores, æternùm dormituri, denegata luce in abditis ſcrinijs iacēt, quum nemo è generoſa ſtirpe Vicecomitum omnino prodeat, qui ſepultum familiæ patriæque decus, in lucem aſſerere velit: quandoquidem nemo ferè ſit ex ea gente, qui non ſpreto veræ virtutis nomine, ab incondito luxu decoxiſſe videatur. Perijt exactæ ætatis ſenex, tonſillis fauces occupantibus, Politiano obiter vehementi metu liberato, cum in Miſcellaneam eius centuriam, cohortes, & alas, quæ impetu obruerent, emiſſurus eſſe diceretur. Ludouicus princeps optimè de literis merito, iuſtum funeris honorem perſoluit, elatuſque eſt ad ædem Euſtorgianam: & hoc carmen ſepulchro Lancinus inſcripſit.

*Vixi alijs inter ſpinas, mundique p ocellas,*
*Nunc hoſpes cœli Merula, viuo mihi.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

## Latomi.

*Cur fugis à titulo? quò tam citò, quæſo, Viator?*
*Siccine, quod poſſim carpere, habere times?*
*Ingenio hoc vixi, fateor: plureisque laceſſi*
*Pro rigido exercens ſcilicet enſe ſtylum.*
*Parcebam nulli, gaudens è cæde frequenti*
*Laſſa cruentatas figere in ora manus.*
*Et tu fortè times, ne nunc quoque dentibus idem,*
*Quæque Theoninis non placitura petam.*
*Optarim ſanè: neque enim tibi abiret inultum*
*Phœbe, ſacerdotem ſic habuiſſe tuum.*
*Nam fœdaſſe ſuas quòd me malus acuit arteis,*
*(Tutari parteis hoc vocat ille ſuas)*
*Tergendis voluit pueris à clunibus eſſem,*
*Quos malè mundatos mors inopina rapit.*
*Ah miſer, at quod idem multi quoq; nunc imitantur,*
*Iam ſucceſſorem mî fore ſpero aliquem.*

# Politianus.



POLITIANVS à prima ſtatim iuuenta admirabilis ingenij nomen adeptus eſt: quum nouo, illuſtrique poemate Iuliani Medicis equeſtres ludos celebraſſet, Luca Pulcio nobili poeta omnium confeſsione ſuperato, qui Laurentij fratris ludicrum equeſtris pugnæ ſpectaculum, ijſdem modis & numeris decantarat. In id enim è Græcis atque Latinis delectos flores populo ſtupendos contuliſſe cenſebatur: nec multo poſt Iuliano à Pactijs in templo immaniter interfecto, eius vindicatæ coniurationis hiſtoriam Latinè, ornatiſsimeque perſcripſit: profeſſusque demum in gymnaſio Græcas pariter, Latinasque literas, tantos de ſe excitauit clamores, fauente iuuentute, vt Demetrius Chalcondyles vir Græcus, præſtantique doctrina, vti aridus atque ieiunus à diſcipulis deſereretur. Exinde Herodianum Romanè loquentem publicauit, cunctis haud du



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

bie erepta laude, qui id generis munus ante ſuſceperant, quanquam ęmuli eam translationem, vti nos à Leone pōtifice accepimus, Gregorij Tiphernatis fuiſſe dicerent, quòd paſsim inducto fuco, & falſis neuorum coloribus interlita, alieni ſtyli habitum mentiretur. Sed eadem præcellenti ſtudiorum omnium vbertate florentem, poſt editam Miſcellaneorum centuriam: publicataque Latina poemata, immatura mors oppreſsit. Erat diſtortis ſæpe moribus vti facie nequaquam ingenua, & liberali, ab enormi præſertim naſo, ſubluſcoque oculo per abſurda, ingenio autem aſtuto, aculeato, occulteque liuido, quum aliena ſemper irrideret, nec ſua, vel nō iniquo iudicio expungi pateretur. Ferunt eum ingenui adoleſcentis inſano amore percitum, facilè in lethalem morbum incidiſſe. Correpta enim cithara, quum eo incendio, & rapida febre torreretur, ſupremi furoris carmina decantauit: ita, vt mox delirantem, vox ipſa, & digitorum nerui, & vitalis denique ſpiritus, inuerecunda vrgente morte, deſererent: quum maturando iudicio integræ, ſtatæque ætatis anni, non ſine graui Muſarum iniuria, doloreque ſeculi, feſtinante fato eriperentur. Vix enim quadrageſimum quartum ætatis annum attigerat, ſed eo præpropero vitæ exitu profectò felix fuit, quòd imminentem conuulſæ Medicæ domus ruinam effugerit. Tumulo autem hoc carmen Crinitus diſcipulus affixit.

*Hic, hîc Viator paulum gradum ſiſte,*
*Vatem potentis ſpiritus vides clarum:*
*Qui mente promptus acri, & arduum ſpirans,*
*Ac ſumma quæque, & alta conſequi ſuetus.*
*Is ille ego Angelus Politianus ſum.*
*Fouit benignò me ſinu Flora, & illic*
*In Fata ceſsi, Parthenopæos Reges,*
*Cum Gallica arma irruerent minabunda.*
*Tu vale, & hoc ſis meriti memor noſtri.*

Eiuſdem

*Siren relicto Daunio*
*Quærebat vbi conſiſteret:*
*Diuque vagula deuolans*
*Acceſsit amnem laſſula*
*Arni fluentis leniter:*
*Et commorata ſatis, iter*
*Parabat inceptum ſequi.*
*Sed ecce dum vaga ſubuolat,*
*Audi repentè rem nouam,*
*Nouosque numeros, & noua*
*Carmina canentis Angeli.*
*Itaque ſtatim in labra conuolat*
*Dulci lepôre perlita:*
*Et, inquit, hîc libet agere,*
*Hic, hîc morabor ſedulò:*
*Vbi Gratia, Decor, & Venus*
*Tam blanditer ſimul canunt:*

*Carmenque*

*Carmenq́ue fundunt aureum:*
*Tu nunc valebis Daunie.*

Petri Bembi.

*Duceret extincto quum mors Laurente triumphum,*
*Lætaq́ue pullatis inueheretur equis:*
*Reſpicit inſano ferientem pollice chordas,*
*Viſcera ſingultu concutiente virum.*
*Mirata eſt, tenuitq́ue iugum: furit ipſe, pioq́ue*
*Laurentem cunctos flagitat ore Deos.*
*Miſcebat precibus lachrymas, lachrymisq́; dolorem:*
*Verba miniſtrabat liberiora dolor.*
*Riſit, & antiquæ non immemor illa querelæ,*
*Orphi Tartareæ quum patuère viæ.*
*Hic etiam infernas tentat reſcindere leges:*
*Fertq́ue ſuas, dixit, in mea iura manus.*
*Protinus & flentem percuſſit dura poetam:*
*Rupit & in medio pectora docta ſono.*
*Heus ſic tu raptus, ſic te mala Fata tulerunt,*
*Arbiter Auſoniæ Politiane lyræ.*

Incerti.

*Politianus in hoc tumulo iacet Angelus, vnum*
*Qui caput, & linguas, res noua, tres habuit.*

Herculis Strozæ.

*Quis Lycias ſortes? quis Phthiæ carmina vatis?*
*Tranſmiſſo Deliquis neget huc Tripodas?*
*Quippe hic aſſiduè Phœbus, Muſæq́ue parentant,*
*Et caros lachrymis ſæpe lauant cineres.*
*Quin ſi Fata velint, tegerentur numina ſub quæ*
*Angelus obdormit Politianus humo.*

Cæſaris Scaligeri.

*Ante tuo quàm te noſſem de pectore, non te,*
*Aiebam, decuit Politiane mori:*
*Siue mori decuit: ſed non decuiſſe fatebor,*
*Ah, ſic ah iuuenem Politiane mori.*
*At diuina ſemel noui dum pectora, dixi.*
*Nec iuuenem, nec iam Politiane mori.*

Latomi.

*Hoc tumulo Charites, lepor, & bona Suada, iociq́ue,*
*Et Muſæ, & Phœbus, plectra, chelysq́ue iacent.*
*Cuncta obière ſimul (neque enim ſunt viſa deinceps:*
*Nec viguit fuluis laurus, vt antè, comis)*
*Verus vt ille pudor Graiûm, columenq́ue Latinûm*
*Angelus arguta deſijt in cithara.*
*Nam fuit hæc (miſerum) ſæuæ culpa altera Parcæ,*
*Cantantis filum præſecuiſſe viri.*
*Ah, ſæuùm potuit qua flectere corda ferarum,*
*Non potuit duram flectere voce Deam.*

# Io. Picus Mirandula.



IOANNES Picus Mirandula merito cognomine Phœnix appellatus eſt, quòd in eum, Dij ſuperi, ſupra familiæ claritatem, omnis corporis, ac animi vel rariſsima dona contulerint. Mira enim altitudine ſubtilis ingenij, decora facie, lectiſsimiſque moribus, et incomparabili quum diſputaret, aut ſcriberet facundia, omnes eius ſeculi ſapientes in admirationem ſui facilè conuertit. Grauiſsimo autem opere, nec dum abſoluto, tanta eruditione, atque vehementia Aſtrologos totius diuinationis vanitate confutata perſecutus eſt, vt ſubtilium diſciplinarum profeſſores à ſcribendo deterruiſſe videatur. In Heptablo autem, dum ſacrarum literarum myſteria diuino ore nobis recludit, & in Apologetico grauiſsimus diſciplinarum omnium rationibus propoſita ad diſputandum, ingenij ſui decreta defendit, ſe ipſum doctrinæ, atque memoriæ felicitate ſupergreſ

ſus

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſus eſſe videtur. Exceſsit è vita dignus cœlo, trium et triginta annorum iuuenis, eo die tam celebri, quàm poſtea Italiæ maximè funeſto, quo Carolus Galliæ rex Octauus Florentiam eſt ingreſſus, ſcilicet, vt tanti funeris luctus, quum ſub ſignis ornatus in pompam externæ gentis exercitus vrbem intraret, vel eo inuſitato ſpectaculo, & in tanta receptæ libertatis lætitia minimè vinceretur.

### Herculis Strozæ.

*Ioannes iacet hìc Mirandula, cætera norunt*
*Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.*

### Eiuſdem.

*Hìc ſitus eſt Picus, cuius ſi cuncta periſſent,*
*Virtutum ſeptem vix ſat erant tumuli.*

### Michaelis Marulli.

*Occidis ætatis media quòd Pice iuuenta,*
*Vltima Socraticæ flenda ruina domus.*
*Nec vel nobilitas, vel opes, vel gratia formæ*
*Profuit, aut animi tot bona rara tui.*
*Hoc hoc, crede mihi, naturæ iniuria matris*
*Larga vel in primis quæ fuit vna tibi:*
*Sed vitæ documenta hominum, et quàm fluxa ſit ollis*
*Forma, genus, dotes ingenij, imperia.*

### Latomi.

*Ne Pici ingenium deberi quis putet aſtris,*
*Nil genere hoc artis, vanius eſſe docet.*
*Quem vitam, & mores frugi, aſsiduumque laborem,*
*Aſtrorum ſcimus percoluiſſe loco.*
*Sed tamen eſt aliquid (fateor) quo debeat aſtris,*
*Quod citò ſe noſtris eripuere malis.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Pomponius Lætus.



IVLIVM Pomponium Lætum Sanſeuerina illuſtri familia in Picentinis natum ferunt, adeoque inſigni cura educatum, vt ex adultera matre, alioqui pudica, illudente ei Salernitano Principe genitus putaretur. Sed vigente demum bello, & labante Fortuna principalis domus, animum ad literarum ſtudia conuertit, tanta antiqui moris æmulatione, & naturæ temperantia optimas literas complexus, vt Romæ inter præclara eius ſeculi ingenia conſpicuus monſtraretur. Nam Vallæ præceptoris æquata eruditionis opinione, locum exceperat, ſed eum mox Pauli Secundi iniuria percelebrem fecit, quum literatos quoſdam, & in his Platinam, atque Callimachum, tanquam impios atque maleficos tormentis excruciaſſet. Nam è Venetijs Romam pertractus ad dicendam cauſam, perpetua vitæ innocentia tutus nihil terreri potuit, vt integro conſtantique a-

nimo

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

nimo indigna fateretur. Veterum enim ingeniorum illuſtria nomina ſibijpſis indiderant, quum in cœtu ſodalium laureati Muſas colerent. Ea nominum nouitate, Pontifex elegantiæ literarum imperitus, ſuſpicioſusque, vehementer offendebatur, quaſi id eſſet occulta coniurantium teſſera ad obeundum inſigne facinus. Xyſto demum, Innocentioque fauentibus in gymnaſio docuit incredibili nominis authoritate, auditorumque frequentia, adeò vt antè auroram profitentem, Romana iuuentus à media ſtatim nocte præoccupandis ſubſellijs præueniret. Deſcendebat è Quirinali ſæpe ſolus, Diogenis more præferens laternam, quum opes contemneret, et iucunda frugilitate venerabilis haberetur. Simplici nanque, & penè ſubagreſti conuictu vſque adeò gaudebat, vt quum frequenti ſemper limine coleretur, improuiſi nobiles conuiuæ, non ſufficienti eius puero per iocum admoniti coquinæ manus admouerent, vnde perurbani ſales, multęque facetię ſererentur. Scripſit Grammaticæ compendium, adultis pueris vtile: & grauiore demum ſtylo ſeriatim Romanos Cæſares: gratiſsimoque libello in antiquæ Vrbis ruinis, vera loca, atque vocabula demonſtrauit. Sed in ſuggeſtu ſummam laudem promeruit: quod eo magis mirum videtur, quum in familiari ſermone hæſitante lingua balbutire eſſet ſolitus, nec orantem demum, aut clara voce lectitantem, vlla omnino oris titubantia deformaret. Septuagenarius exceſſit è vita, quum gelidiſsimo vini potu ventriculi calorem oppreſsiſſet. Elatus eſt auditorum inſignium pijs humeris, honeſtante funus familia purpurata Alexandri Pontificis, & laudante Marſo oratore. Quum varijs autem Elegijs tumulus ornaretur, epigramma Pontani, conſenſu publico locum obtinuit.

## Pontani.

*Pomponi tibi pro tumulo ſit laurea ſylua:*
*Oſſa, maris rores, myrteaque vmbra tegant:*
*Teque tegant, artusq́ tuos, violæq́, roſæq́,*
*Ver habeat, Zephyros ſpiret, & ipſe cinis.*
*Stillet & ipſe cinis, quas & Parnaſus, & antra*
*Theſpia, & ipſa ſuas Aſcra miniſtret aquas.*

## Domitij Palladij.

*Hic iacet exigua Lætus Pomponius vrna,*
*Cuius honor meritò pulſat vtrunque polum.*
*Lætus erat Romæ vates ſublimis, & idem*
*Rhetor, nunc campus lætior Elyſijs.*

## Latomi.

*Effert Pomponi dum te Romana iuuentus,*
*Et fouet in gremio Roma beata ſuo:*
*Fama eſt, inuidiam ſummorum adeoq́ Deorum*
*Hunc tumulum, hos gerulos conciliaſſe tibi.*
*Sed tamen hoc ſummi tibi debebatur honoris,*
*Vt tua mors ſuperis inuidioſa foret.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Callimachus.



CALLIMACHVS antiquo nomine Philippus Geminiano Etruriæ oppido editus ingenium lectiſsimis literis Romæ excoluit, nec multo poſt indignam inſonte animo ſubijt calamitatẽ, quum Paulus Secundus illuſtres Academiæ ſodales odio temerè concepto, tanquam malignè conſpirantes perſequeretur, ita, vt ipſe ante alios deſumpti Græci nominis reus, tormentis, & carcere pœnas daret. Ab ea autem iniuria indignabundus in vltimas terras profectus, Caſimiro Sarmatiæ Regi ingenij operam obtulit. Is virtute, fortunaque clariſsimus, ſed Pontificij nominis hoſtis, quatuor Regum pater fuit. In honore tum erant optimæ literæ apud externos reges, vno præ cæteris Matthia Coruino ſtudijs ac artibus eximijs liberaliter fauente. Itaque Callimachus Alberto filio præceptor datur, à quo demum, poſt Caſimiri patris interitum, ad ſummum fami-

milia-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

miliaritatis, atque potentiæ locum euectus eſt, tanta Polonorum conſternatione, odioque, vt eum tanquam impium, & Moldauicæ cladis authorem, tyrannidemque impotenti imperio exercendam Regi ſuaderet, aula extruſerint. Maligno enim iudicio nobilitatem, quòd imperatæ pecuniæ, & ſuſcepto bello auerſa eſſet, ſæuo hoſti obiectandam eſſe cenſuerat, vt nemo demum ſupereſſet, qui libertatis per manum traditæ iura tueretur. Sed Callimachus, vel Alberto abſentis deſiderium vix ferente, quòd inuidiam minimè ſuſtineret, ſemi exul in Vilna Sarmatica apud veterē amicum occultatus, Fato ceſsit: ita vt morte celata, ſine funere areſactus tepore clybani in armario ſeruaretur. Id reſciuit Albertus, & pietatis ergò, Cracouiæ in æde Trinitatis æreo ſepulchro honeſtandum curauit. Præcipuum eius ingenij monumentum, extat Hiſtoria exactiſsimè conſcripta de rebus geſtis Ladiſlai Sarmatiæ, atque Pannoniæ Regis: qui ad Euxinum Varnenſi acie, ab Amurathe ſuperatus interijt. adeò enim eleganter eius grauiſsimi muneris leges impleuiſſe exiſtimatur, vt omnes qui à Cornelio Tacito, per tot ſecula id ſcribendi genus attigerint, meo iudicio ſuperarit.

### Iani Vitalis.

*Ænea, Callimachi, quæ circumplectitur oſſa,*
*Depoſiti meritis nobilis vrna ſui,*
*Ænea ſit quamuis, multò eſt precioſior auro,*
*Etruſci felix hoſpita Callimachi.*
*Ipſi etiam, Italia, tantum decus, auſpice, adepti,*
*Ad ſacra conueniunt buſta Boryſthenides:*
*Exultantque mero, & choreis, referuntque viciſsim:*
*Dedicat hæc Criſpo Sarmatis ora ſuo.*

### Latomi.

*Exuuias præter pellemque, atque oſſa latini*
*Nil hîc Callimachi Barbara terra tegit.*
*Illa Boryſthenides rapuêre, tenentque Camœnæ,*
*Quarum primus amor, gloria prima fuit.*
*Hoc perfecturus, ſi copula longa fuiſſet,*
*Veniſſetque ſuo iuſta propago thoro*
*Sarmatide è nympha: ne Barbara terra videri*
*Poſſet, Romanæ vel minus apta togæ.*
*Sed mors inuîdit, qua nil odioſius: atqui,*
*Quæ ferit, as tacito non caret opprobrio.*
*Æneus eſt tumulus, mors ænea: & æneus ille,*
*Qui legit hæc ſiccis triſtia verba oculis.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Hieronymus Sauonarola.



MEDICEIS Gallorum aduentu Florentia pulſis, Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis ex ordine diui Dominici cucullatus, vſque adeò auſtera vitæ diſciplina, ac erudito ſubtilique ingenio, & in ſacris concionibus admirabili facundia valuit, vt populum inſtaurandis religionibus deditum, & tum nouo receptę libertatis gaudio geſtientem, quò vellet facilè impelleret, priuatiſque familiarium, ac ipſis quoque ſummi magiſtratus conſilijs miſceretur. Futura enim prædicere, veluti diuino adflatum numine credebant, quando nihil validius eſſet ad perſuadendum ſpecie ipſa pietatis, in qua etiam tuendæ libertatis ſtudiū emineret. Sed nonnulli optimates, aſtutis ingenijs adeundo, conſulendoq; eius authoritatē in immenſum adaugebant, tanta quidem inſania, quò illã ſibi aſtruerent, vt ad Carolum Regem Piſas Legatus mitteretur, & integros

quatuor

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

quatuor annos Florẽtinorum animis, ac opibus imperaret. Verùm in eo Chriſtianis hercle moribus, ac optimis literis ornatiſsimo, ingenium ab occulta ambitione, & nimio, exitialiq́ue proferendæ veritatis ſtudio inflammatum, adeò æſtuanter efferbuit, vt capitale iudicium de ſuſpectis nobiliſsimis ſeptem ciuibus ſæua ſententia præcipitarit, moreſque Alexandri ſummi Pontificis veſana declamandi libertate, quum acerbè ſuggillaret, ſacroſanctam poteſtatem in dubium deuocarit: quamobrem reus maieſtatis, depoſcente Pontifice, concedenteq́ue Senatu, & concrematis quidem templi foribus, nec incruenta irruptione comprehenditur: nam inimicæ factionis ciues, damnatorumq́ue propinqui arma ceperant: in eoq́ue tumultu trucidatus eſt Franciſcus Valorius partium princeps, qui maturandæ reorum necis author extiterat. Cæterùm de Sauonarola tormẽtis excruciato, confeſſoq́ue, latronum more, in medio foro, miſerabile ſupplicium eſt deſumptum, ita, vt ſtrangulati corpus extemplò cremaretur, diuerſo quidem animorum habitu, quum alij ardentes odio, iure execratum, atque punitum ſucclamarent: alij verò lugentes, tanquam indigna morte perempti è rogo cineres religiosè colligerent. Eius autem ingenij operum præcipua cum laude legitur glorioſus Crucis triumphus aduerſus eius ſeculi ſapientes, garruloſq́ue ſophiſtas, Latinè perſcriptus. Vtramque autem pij, atque impij nominis famam cumulatè promeruit, ſi duobus contrarijs cœnotaphijs credendum eſſe cenſeremus. Sed alterum quod liuidus effudit, honeſtus ſupprimet pudor, ne ſupra miſerabilis ſupplicij dolorem, inſontis fortaſſe viri manes hac etiam æterni carminis inurente nota crucientur.

### Marci Antonij Flaminij.

*Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus,*
*Relligio ſanctas dilaniata comas*
*Fleuit, & ô dixit, crudeles parcite flammæ,*
*Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.*

### Latomi.

*Dicere me prohibet pietas Hieronyme quicquam,*
*Tuo quod olim nomini*
*Officiat: vetat aſt eadem me dicere, paſſum*
*Te præter æquum talia.*
*Illud nemo negat, vel Momo durior, eſſe*
*Quæ ſcripſeris, pijſsima.*
*Quæ dum compono, tibi, neſcio, num ne dolere,*
*Vel gratulari debeam.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Marſilius Ficinus.



QV V M clariſsimi Græcorum Theodorus, Argyropylus , & Trapezuntius, veluti ex condicto inter ſe diſtributis operibus in traducendo Ariſtotele ad non obſcuram æmulationem verſaretur, vnus Latinorum Marſilius Ficinus diuinæ philoſophiæ amore incenſus, transferendi Platonis negotium ſuſcepit, atque perfecit, vſque adeò feſtinata felicis ingenij fœcunditate, vt plerique in puſillo eius corpore, quod vix ſemihominem æquaret, tantam vim inuſitati ſpiritus, & tantas vtriuſque linguę facultates vigere mirarentur. Nam eundem quoque inſatiabilis ſtudij tenorem ſecutus, Plotinum, Iamblicum, Syneſium, & Pſellũ Platonicæ ſectæ nobiles authores Latinos effecerat, hortante quidem Coſmo Medice, & mox tradita per manus ſummæ virtutis hæreditate, Petro filio, & Laurentio nepote ſuffragantibus. Ex ea ſiquidem ornatiſsimæ domus liberali diſcipli-

diſcipli-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

diſciplina Ficinus honeſtis ædibus, peramœna villa, ſacerdotio, annuiſque ſtipendijs, atque muneribus ſeſe adauctum, & cumulatè perornatum ſenſit. Contemnebat enim maiores opes, vir minimè ambitioſus, & nitidæ iucundæque vitæ ad bonam frugem percupidus, quum vnam ſtudiorum laudem ſpectaret, nec vllis vnquam contentionibus miſceretur, quòd rerum omnium, præterquam vini ſubdulcis voluptates abdicaſſet, nulla quidem animi triſtitia, quum eſſet omninò lætiſsimus: ſed exactiſsima ratione ad tuendam valetudinem, ſicuti deprehendere licet ex libris de triplici Vita editis. Adeò enim moroſè ſibi ad ſpem vitæ blandiebatur, vt ſæpe eadem die, quum aer incaleſceret: aut aliquo ſpiritu moueretur, capitis tegumenta permutaret. Sed quum ſodalium ſuorum acerba funera luxiſſet, Laurentij, Hermolai, Politiani, Mirandulæ, qui vno anno perierunt: Landiniq; item, & Sauonarolæ, in Caregiana ipſius villa, ſeptuagenario prouectior febricula interijt, diro quidem omine, quum eodem die punctoque temporis, duo clariſsima Italiæ lumina Ficinum ipſum, & Paulum Vitellium ſummæ inuictæque virtutis Florentinorum Imperatorem, aliquantò certiore inimicorum rabie, quàm noxa capitali ſupplicio damnatum, vis ipſa fatalis extinxerit: & cum eſſet in alpibus Ludouicus rex Gallorum, armatus irrumpens, vt ſingulas illuſtres domos, & ad ad vnum ferè omnes Italiæ principatus euerteret.

Incerti.

*Mores, ingenium, Muſæ, ſophiæque ſepulta eſt*
*Laus hîc, cum magni corpore Marſilij.*

Incerti.

*En hoſpes hic eſt Marſilius ſophiæ pater,*
*Platonicum qui dogma, culpa temporum*
*Situ obrutum, illuſtrans, & Atticum decus*
*Seruans Latio dedit: fores primus ſacras*
*Diuinæ aperiens mentis actus numine.*
*Vixit beatus antè Coſmi munere,*
*Laurique Medicis, nunc reuixit publico.*

Politiani.

*Mores, ingenium, Muſas, ſophiamque ſupremam,*
*Vis vno dicam nomine? Marſilius.*

Andreæ Dactij.

*Hic ſitus eſt magni ſacrum qui dogma Platonis,*
*Marſilius patriæ tradidit & Latio.*
*Exuuias tellus, cœleſtes ſpiritus oras,*
*Diua ſed & terram fama polumque tenet.*

Latomi.

*Hic, hîc Marſilius notiſsimus ille Ficinus,*
*Totius Auſoniæ lux'que, decusq; iacet.*
*In paruo ingenteis qui clauſit corpore dotes:*
*Immò non clauſit, ſed magis exeruit.*
*Quare etiam hac parua fama eſt anguſtior vrna:*
*Nî tamen hæc potius, quem replet orbis erit.*

b

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Galeottus Martius.

GALEOTTVM Martium Narnia genuit, robuſto ingenio diſciplinas omnes complectentem. Is Matthiæ Coruino Pannoniæ regi præceptor, epiſtolarumque magiſter, & in caſtris miles: & in palæſtra multarum palmarum athleta fortiſsimus operam præſtitit, adeò feliciter, vt omnium horarum amicus & comes haberetur. Scripſit librum de Homine, varia eruditione potius, quàm eloquentia mirabilem, in quem non multò poſt inuectus eſt Georgius Merula grammaticorum exactiſsimus. Sed ea vehementia Galeottus ſeſe defendit, vti Apologeticus priore libro varietate eruditionis multò vberior cenſeri poſſet. Scripſit etiam, & malo quidem infortunio, quædam in ſacra, moralique Philoſophia: nam ex ea lectione, quum omnibus gentibus integrè, & puriter veluti ex iuſta naturæ lege viuentibus, æternos cœleſtis auræ fructus paratos diceret, à cucullatis ſacerdotibus accuſatus, damnatusque eſt. Sed eum periculo celeriter exemit Xyſtus pontifex, qui in minori Fortuna eius fuerat auditor, non ſine graui tamen contumelia. Nam in foro Veneto ad geminas columnas ad tribunal perductus eſt, vt impetrata venia ſe falſa ſcripſiſſe fateretur. Sed accidit, vt id iudicium exortus in turba riſus euerteret, ſalſo ac repentino Galeotti dicterio excitatus. Nam quum fortè non ignobilis Venetus, è turba proximus ſtrigoſa proceritate, & impudicæ vxoris probro inſignis, traductum ludibrio præpinguem porcum appellaſſet, extemplò Galeottus renidentique ore, pinguis, ait, porcus, quàm macer hircus eſſe malo. Erat enim Galeottus vſque adeò tumenti abdomine, vt quum ſub vaſto obeſi corporis pondere, vel prægrandia iumenta fatiſcerent, rheda curuli veheretur: ac demum ſenex ad montem Annianum circa Ateſte, aruina ſuffocatus interiret.

### Iani Vitalis.

*Hanc galeam, hunc poſuit Galeottus Martius enſem,*
*Mars tibi, et hanc citharam docto cum pectine Muſis,*
*Militia functus, decantataque poeſi.*

### Latomi.

*Et galeæ & Martis tibi fecit nomina mater,*
*Illa nouis facibus trita, dolisque Venus,*
*Ne ſi te Mauors reſciſſet Apolline cretum,*
*Vim tibi, vel matri, ſæuus, vt eſt, faceret.*
*Proinde nec eſt mirum, ſi vincis vtraque palæſtra,*
*Eſtque tibi niuei copia tanta ſalis.*
*Quem voluit mater tinctum ſua olente ſaliua,*
*Et pater ornatum munere vterque ſuo.*

ELI

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Eliſius Calentius.

HVIVS ex Amphracta oppido ſemi Appuli Muſa, regnantibus Aragonijs Neapoli, inſignis fuit, vel illuſtrium poetarum æmulatione propoſita. Tum enim Pontanus, Altilius, Grauina, & Actius, immortali ingenio præditi vates, diuina carmina factitabant. Sed Calentio amatoriæ vanitatis incendijs iuueniliter vſtulato, æquo torrentior vena vti ſubitis impulſa caſibus nequaquam liquidiſsimè profluebat: in varios alioqui carminum modos repentina largitate mirabilis. Adamauit eum vnicè à puero contubernalem Pontanus, ſuſpexit Altilius, Actius verò Syncerus meritis laudibus exornauit. Extant eius Elegię teneris affectibus peramœnæ, & Ranarum cum Muribus prælia Homerico ſpiritu Latinè decantata. Dicauit eas vigilias Angelo Colotio ab eruditi ingenij candore viro lectiſsimo: quem hodie viuido ingènio ſenem, & ſacrata infula clarum ſalubris eloquentiæ præcepta in hortis ingenuè tradentem Romana iuuentus colit. Moriens Calentius Lucium filium reliquit, ad quem legitur epiſtola Pontani, ad paternos mores, ſtudiaque eadem adoleſcentem accendentis. Porrò Calentius ipſe quum amore perditus, oblitusque rei, elegis inanibus diu hæſiſſet, Fortunam ſibi ad parandas opes defuiſſe ſerò ſenſit, vt hoc ſuo carmine fatetur:

*Talia poſt cineres de me toto orbe legantur,*
*Scriptaque ſint tumulo carmina digna meo.*
*Ingenium natura dedit, Fortuna poetæ*
*Defuit, atque inopem viuere fecit Amor.*

Moriens autem, hoc carmen inſcribendum Lucio filio mandauit.

Eliſius de ſe pſo, Viatori.

*Sit tibi, ſit felix, & fauſtum iter,*
*Qui ſim diſcito paucis, ſodes:*
*Hîc ego vates iaceo Calentius,*
*Somno ſapiens graui,*
*Donec me tubicen ætheris excitet,*
*Vocans ad pias Superûm ſedes.*
*Legiſtin'? amabo dic abiens, Vale.*

Latomi.

*Eliſius tenerè teneros dum ſcribit amores,*
*Durare ad ſenium tam tener haud potuit.*
*Sed nec erat diues, nec mirum in vate negatas*
*Spernit is: ancillas aut facit artis opes.*

# Pandulphus Collenucius.



PANDVLPHVS Collenucius Piſaurenſis ingenio peracri, & ſtudiorum rerumque omnium erudita notitia perornato, nobiliſsimarum Italiæ vrbium præturas geſsit: functusque grauiſsimis legationum muneribus illuſtri facundia, & geſtu pernobili Latini oratoris nomen impleuit. Cæterum tanto ingenio temperantia deerat, vt nulla in arte ſummum laudis faſtigium teneret. Inſatiabili etenim cupiditate ſemper vagus in omnes diſciplinas ferebatur, quum eſſet ex profeſſo iureconſultus: vt facilè reliquarum facultatum principes, diſputatione, ſcriptisque laceſſeret: quòd nihil, niſi valde excellens, probare eſſet ſolitus, & quæque mediocria faſtidiret. Indignatione ſiquidem ſuperba, & oſtentatione præcipiti, Plinium aduerſus calumniatorem Leonicenum diſertiſſimè defendit. Scripſit & libellum de Vipera; ac item facetiſsimum capitis & pilei

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Pilei Dialogum: poſtremò etiam Neapolitanorum regum res geſtas Etruſco quidem ſermone in gratiam Herculis Ateſtini, qui Latinas literas minime didicerat. Multa autem lectu iucunda, eleganter inchoata abſoluere nequiuit, quum apud Ioannem Sfortiam Piſaurenſium Tyrannum, quem deprehenſis literis offenderat, ſupra veterum officiorum memoriam, diſsimulata recentis odij libido valuiſſet. Vir enim incautè Tyranno fidens, ea nece indignus, in carcere ſtrangulatus interijt.

### Ferdinandi Balamij.

*Ignoſcit Collenucio Tyrannus,*
*Mox illum necat: ô ſcelus nefandum,*
*Vincens ſæuitiam Neronianam.*

### Latomi.

*Eſto: Tyrannus ſtrangulauit impia*
*Nimis, heu: apertum fraude Collenuccium*
*Illúmue, ô hoſpes, an magis ſe perdidit?*
*Sua ille viuit claritate in litteris,*
*Actæque vitæ nobili præconio.*
*At iſte tali morte viuens concidit,*
*Quod nunc mori vt nec viuere olim, non liceat*
*Illius vtrumque præſtruente gloria:*
*Proinde verum ſi tacere nolumus,*
*Non vim Tyrannus intulit, ſed paſſus eſt,*
*Quæ laurea illi prorſus eſt clariſsima.*

# Iouianus Pontanus.



IOVIANVS Pontanus vir ad omne genus eloquentiæ natus, Cereto Vmbriæ oppido metu profugiens, quòd ibi pater à factioſis ciuibus eſſet interfectus, Neapolim planè iuuenis, & inops contendit. Ibi enim liberali Alfonſi Regis ſtudio, condita celebri bibliotheca literas in honore eſſe didicerat. Nec defuit honeſtus virtuti locus, Antonio Panhormita eruditi ingenij vim admirante. Is tum erat excellentis doctrinę nomine regij ſcrinij Magiſter. Aſpirauit demũ his cœptis Fortuna, vſque adeò benignè, vt Ferdinandi Regis caſtra ſecutus, in demortui Panhormitę locũ ſufficeretur. Vnde illi mox honeſtæ opes, ſed obſequij fide ac merito, vti ſcripſit, inferiores, niſi ad opimi muneris prouentum Ariadnæ vxoris dotalis hæreditas acceſsiſſet. Hac parta dignitate, liberiore veluti ſtudio, Muſas per omnes numeros exercuit, tanta habilis ingenij fœcundita-

te, vt

te, vt neq; poetis, neq; oratoribus, qui tum maxime florerent, dignū ſecundæ famæ locum relinqueret. Erat auſtero ſupercilio, et toto oris habitu ſubagreſtis: ſed ſtylo, & ſermone perurbanus, quum ſæpiſsime vel in ſerijs multo cum ſale iocaretur. Habitus tamen eſt in omni cenſura quanquam abſolute pius, ſupra æquum mordax, vel eo quod non homines modo ſibi notos, ſed gentium, & vrbium quoque omnium mores acerba ſcribendi libertate perſtringeret, ſicuti ex varijs Dialogis, Charonteq; præſertim intemperanter oſtendit. Sed in pangendo carmine, quàm texenda proſa cultior, atque ſublimior multis videtur: quandoquidem in hiſtoria non ſemper integra grauiſsimi inceſſus dignitate, ab eius muneris diſciplina deflexiſſe exiſtimari poſsit, quum poſtea ab Heſperidum hortis citriorum ſuauiſsimis odores ſpirans, atque inde diuino carmine in altum euectus, ad illa ipſa excelſo ore decantata ſidera propius acceſſerit. Vixit annos ſeptuaginta ſeptem. Fato autem functus eodem menſe, quo Alexander Sextus Pontifex vita exceſſerat: tumulatus eſt in ſacello ab ſe ſepulchri cauſa extructo è regione Daualorum domus, vbi Elogium ab ſe compoſitum in marmorea tabula ſpectatur.

*Viuus domum hanc mihi paraui,*
*In qua quieſcerem mortuus.*
*Noli obſecro iniuriam mortuo facere,*
*Viuens quam fecerim nemini.*
*Sum etenim Iouianus Pontanus,*
*Quem amauerunt bonæ Muſæ,*
*Suſpexerunt viri probi,*
*Honeſtauerunt reges Domini.*
*Scis iam qui ſim, vel qui potius fuerim.*
*Ego verò te, hoſpes in tenebris noſcere nequeo:*
*Sed te ipſum vt noſcas, rogo. Vale.*

### Baſilij Zanchij.

*Aurea Pierio texentem carmina filo*
*Pontanum ad doctæ Parthenopes titulum.*
*Vt primum Pindo, longè atque Helicone relicto,*
*Audijt arrecta Cynthius aure Deus:*
*Viciſti Pontane, inquit, mea numina, cedat*
*Iam tibi & Eous, cedat et Heſperius.*

### Cælij Calcagnini.

*Creditus occubuiſſe Maro, ſeceſſerat olim,*
*Vt cæli motus, labentiaque aſtra videret,*
*Mox rediens ad nos Iouiani nomine, terris*
*Quid felix proſit, quid noxia terra minetur*
*Expoſuit, noſtriſq; oculis ſubſtrauit Olympum.*
*Scilicet hoc deerat, pecudes, Styga, prælia, turmas,*
*Scripſerat, extremum votis fuerat aureus axis.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

## Simonis Vallamberti.

*Neſcio quo fingant Muſas Helicone manere:*
*Hoc ſcio, quòd tecum, mi Iouiane, manent.*

## Marci Antonij Flaminij.

*Qui cecinit claro fulgentia lumina cœlo*
*Pontani doctis verſibus Vrania,*
*Phœbe tuis magnam lucem addidit ignibus, vtque*
*Nunc melius niteant ſidera cuncta, facit.*

## Pierij Valeriani.

*Scriptorum venerabilis magiſter,*
*Pontanus cubat hîc Viator: illum*
*Commentus bona verba, fortè adores*
*Ne fac huic mala, quin precare multa,*
*Omnem vt ſurripuit poetices vim,*
*Nam dum tam bene ſcribit, adque amuſſim*
*Æquat omnia, perpolitque ad vnguem,*
*Quauis arte decoreque abſolutus,*
*Secli terriculum fuit ſequentis,*
*Nemo ſcribere vt audeat nepotum.*
*Quin pacem hinc, bona quin precare, libans*
*Thus, coſtum, violas, crocum ſepulchro:*
*Qui dum tam bene ſcribit, adque amuſſim*
*Æquat omnia perpolitq; ad vnguem*
*Quæ obſoleuerat ars, decorque rectè*
*Scribendi, auſpicijs renidet huius,*
*Noſtra ætas veteres vt æmulari*
*Et poſſit ſimul, & ſimul præire.*

## Myrtei.

*Qui vos ſidera clara, citriosque*
*Flores Heſperidum hortulis virentes*
*Verſibus cecinit laborioſis,*
*Pontano date ſidera alma lymphas:*
*Vos horti date ſerta, quæ ſepulchrum*
*Ornent perpetuo cadente flore,*
*Spargant perpetuo cadente rore.*

## Latomi.

*Ab hoc ſi tumulo procul profani*
*Arcerent oculos, manus, pedesque:*
*Et ſolis aditum darent poetis:*

*Huc*

*Hùc ſuo Lepidina cum Macrone*
*Ductatum choreas, nouatum amores,*
*Et ad delitias nouas veniret.*
*Baianæ, lepidæ & leues puellæ*
*Hìc potos calida ſenes lauarent:*
*Queis luſum vt facerent proteruiorem*
*Curſarent pede, bracchyſque nudis:*
*Proferrent niueas ſinu papillas:*
*Femur negligerent fluente veſte:*
*Darent baſia pluribus figuris,*
*Quàm ſuis citrios colunt in hortis*
*Tum pulchra Antiniana, tum Patulcis:*
*Sed quos aureola coma virenteis,*
*Et gratos triplici colore fœtus,*
*Hoc circum ordine ponerent ſepulchrum.*
*Undas Eridanus ſuas rigandis,*
*Igneis Vraniæ daret fouendis.*
*Huius luminibus locus caleret:*
*Illius lachrymis ſolum teperet.*
*Et hæc omnia Gratiæ probarent,*
*Muſæ percolerent, Amor, Venusque:*
*Ab hoc ſi tumulo procul profani*
*Arcerent oculos, manus, pedesque,*
*Et ſolis aditum darent poetis.*
*Queis nunc ſancte ſenex tuo in ſepulchro*
*Et nos perfruimur tuo in libello.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# M. Ant. Coccius Sabellicus.



MARCVS Antonius Coccius Sabellicus ad vicum Varronis in via Valeria, iuxta Anienem fabro ferrario patre genitus, ingentem, & propè ferream vim ingenij ad perdiſcendas literas attulit, tanto prouentu, vt planè imberbis apud Tyburtes ludum aperiret. Inde verò collecta mercede, & togula cœrulea excultus nobilioris doctrinæ cupiditate in Vrbem ad Pomponium ſe contulit, à quo vberrimi ingenij merito, in collegiũ ſodalium ſolemni cęrimonia cooptatus, Sabellici cognomen tulit, mutabat enim nomen, qui in Quirinali ſacra lauro coronabatur. In ea ſchola, quòd cenſura literarum acerrimis iudicum ingenijs ageretur, multum ſibi de incondita, & ſubagreſti Latinæ orationis exuberantia detraxiſſe fertur. Nec multò poſt, Roma excedens, Vtino in oppido, non procul ab Aquileia, nobiles regionis adoleſcentes docuit. Parta demum

inſi-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

inſigni nominis fama,quum regionem vetuſtatis authoritate percelebrem lepidè deſcripſiſſet,decantato etiam verſibus Carnico incendio,& deplorata clade Sontiaca:idcirco eum Vicentini celebritate nominis exciti, ambitioſè duplicato ſtipendio conduxerunt.nec ibi diu manſit,euocante Senatu Veneto,ea conditione,vt ciuitatis res geſtas à fine Iuſtiniani conſcriberet, & trecentis aureis in gymnaſio profiteretur. In hoc munere perutilem iuuentuti operam pręſtitit,quum in altero adulatione parum ſobria rerum veritatem adumbraſſe videretur. Sed in Enneadibus omnium temporum, ab orbe condito memoriam complexus,vti neceſſe fuit,ingenti operis inſtituto feſtinanter indulgenti,res illuſtres præclara cognitione digniſsimas perobſcura breuitate adeo vehementer offuſcauit,vt excitatam vberrimo titulo legentium cupiditatem paſſim eluſerit,quum omnia in aceruum anguſtiſsimè coarctata,nequaquam certa effigie,ſed exiguis tantùm punctis,& lineis annotata deſignentur. Id ſuſceptum munus gnauiter ſecutus,ſcribendo ad ſeptuageſimum ferè annum peruenit,Gallica tabe ex vaga Venere quęſita non obſcurè conſumptus. De ſepulchro autem, viuens & incolumis,tempeſtiuè ſibi cauit,ſcilicet degeneri filio diffiſus,quem ex concubina ſuſceperat:compoſitumque ab ſe carmen lapidi inſculpſit: inſigne quidem,& meritum elogium,ſed certè honeſtius,ſi alieni ingenij pietas inſcripſiſſet.

*Quem non res hominum,non omnis ceperat ætas,*
*Scribentem capit hæc Coccion vrna breuis.*

Latomi.

*Magnus in hoc tumulo iacet ille Sabellicus,orbis*
*Cuius ad ingenium non ſatis vnus erat.*
*Tempora permodicis incluſerat omnia chartis,*
*Seruire exemplo quæ potuère aliquo.*
*In Venere incerta tamen hic contabuit:atque*
*Maluit Italicus Gallica Fata pati.*
*Qui iuuat humanos ſcire atque euoluere caſus,*
*Si fugienda facis,& facienda fugis?*

# Laurentius Laurentianus.

LAVRENTIVS Laurentianus aliquandiu Florentiæ,& Piſis philoſophiam medicinamque profeſſus, ingenium elegātibus literis deditum ad traducendum Hippocratem cōuertit, quòd Theodorus Gaza alioqui diligentiſsimus interpres circumſcripti authoris laconiſmis minimè ſeriò reſpondere videretur. Extant & eius eruditę Lucubrationes in Galenum medicinæ principis, arcana perobſcurè interpretātem:ſed in commentationum curſu planè miſer, atra bile correptus eſt. Empturus enim domum ea pactione tertiam precij partē numerarat,vt,niſi intra ſextum menſem totius ſummæ pecuniam repræſentaret, arrhabonis pecunia lucro venditoris amitteretur. Aduenante verò die,quum

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

multa ei aduerſa ſpem fefelliſſent, diffiſus amicorum liberalitati, & iacturę dolore perculſus, animum deſpondit, in profundumque puteum ſe coniecit, ſub id tempus quo Petrus Soderinus erecto populari dominatu, tãquam dictator perpetuus, ſumma cum moderatione Florentinæ Reipublicæ præſidebat.

Myrtei.

*Spe deſtitutus commodum ſibi domum*
*Parandi, & anguſtæ magis, quàm patria*
*Florentia natum ædibus mirabili*
*Decebat, infelicem agens vitam miſer*
*Laurentianus ſe puteo in præceps dedit*
*Anguſtiori: ne ſepulchrum largius*
*Eſſet cadenti, quàm fuerat viuo domus:*
*Quæ nunc parata literis illi patet*
*Talis polo, qualem nequeat orbis dare.*

Latomi.

*Candida laurus erat, quondam prælata ſepulti*
*In titulo, geminis (gloria rara) notis:*
*Arteis dum coluit, dum clarus Apollinis inter*
*Myſtas: perpetuum viuere dignus erat:*
*Quæ ſuper hunc tumulum fuluis modò paſſa capillis*
*Stultitiam domini deflet & ipſa ſui.*
*Qui ſibi ſpes ſubitò quòd erat præciſa parandi,*
*Optabat quali commoditate domum,*
*Fortunæ impatiens, puteum ſe miſit in altum:*
*Sicque miſer vitam perdidit atque animam.*
*Hoc eſt verſuram vitæ feciſſe, domusque:*
*Nempe, perire malè, nunquam habitare bene.*

# Antiochus Tybertus.

ANTIOCHVS Tibertus Ceſenas ingenuus puer, à milite in vlteriorem Galliam perductus, amore literarum Lutetiæ conſedit, non abnuente hero, vt docilis ingenij adoleſcens optimis literis imbueretur. Poſt aliquot autem annos inde rediens in Italiam, profiteri cœpit diuinatorias artes, Magię proximas. Eleganti enim libro de Chiromantia edito, tantum nouæ famę promeruit, vt inſigni concurſu, à curioſis & anxijs de toto vitæ fortunæque euentu conſuleretur: nam ad corroborandam eius diſciplinæ authoritatem, oportuna bonarum artium pręſidia contulerat: vſque adeò ſolerter atque feliciter, vt viri doctiſsimi planè conſcij de vanitate incertæ artis, id aſſeuerarent, quod vulgi teſtimonio crederetur. Primus enim poſt Petrum Aponenſem, magiæ peritia celebrem, duobus ſeculis iacentem, & à cucullatis exploſam artem excitarat, tribus etiam libris de Phyſiognomia, & Pyromantia compoſitis: ea tamen opinione, vt nequaquam ex arcano artis auidiſsimo cuique futura prænoſcendi rerum abdi-

tarum

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

tarum euentus prędiceret, ſed ex miræ prudentiæ coniectura, tanquam illuſtri ratione demonſtrare putaretur. Prædixerat Guidoni Balneo, cui in togata Gallia propter inuſitatum militaris animi vigorem, Guerræ cognomentum fuit: atque item Pandulpho Malateſtæ Ariminenſium Tyranno, ex volę manus lineis, futurum eſſe, vt hic pelleretur patria, & dominatu, exulque in extrema egeſtatis miſeria periret: ille verò ab inſigni amico perfidiæ ſuſpicione necaretur. memorabili hercle non omnino incertę artis argumento, niſi Antiochus imminentem vitæ ſuæ exitum ignoraſſet, de quo tamen, ſed fatali deceptus hora, minimè dubitarat. Interfecit enim Pandulphus ſuo metu, vel Bentiuoli ſoceri iuſſu nimium ſæuus, à ſuſpecta virtute virum fortem, quanuis amicum & partium ducem, ac ipſum Tibertum cuſtodiæ tradidit, vt ex euentu, ſupplicio ſeruaretur. Sed quum occultam exitio Fata viam apperirent, captiuus, & compedibus nexus, cuſtodis arcis filiam mollis animi puellam ita orando, et blandiendo ad miſericordiam, amoremque pellexit, vt ab ea reſtem impetraret, & in foſſam demitteretur: ſed compedum ſonitu prodita fuga miſer retractus, & pari ſorte cum puella ſecuri percuſſus, interijt. Nec in Pandulpho prædicentis fidē eadem Fata fefellerunt, quando omnium egentiſsimus in hoſpitali diuerſorio deſertus à liberis, ſæuitiæ infamis, ac egeſtate ſenex miſer perierit.

### Floridi Sabini.

*Exilium domino quòd vaticinare potenti,*
*Dira morte inſons perderis Antioche.*
*O miſeras arteis, quæ non docuêre ſalutis,*
*Cum tibi monſtrarint hæ quoque mortis iter.*

### Latomi.

*Hos ego diuinos aliquid ſanè eſſe putaſſem,*
*Et tantum humanum non ſuperare modum.*
*Si non præ reliquis illos humana viderem,*
*Enormi quadam cum nece, Fata pati.*
*Adde quod eſt grauius, mala quum licet antè videre;*
*Non æquè vt caueas antè videre licet.*
*Et tamen ac liceat ſecum, ſine lumine, pugnant,*
*Vimque ſuis Fatis fruſtra adhibere ſtudent.*
*Hoc docet Antiochus, qui Fata niſi antè ſciſſet,*
*Innocuus poterat, & ſine cæde mori.*
*Hoc ſupereſt Lector (ſi me patiâre monentem)*
*Diuinus fias, ſi miſer eſſe voles.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Philippus Beroaldus.

BEROALDVM inter nobiles grammaticæ profeſſores ſummi nominis celebritate, & incredibili auditorum frequentia Boноniæ docentem, externa prgſertim iuuentus effusè mirabatur, quum ex multa lectione, feliciq́ue memoria, abſtruſæ doctring opes venuſto oris geſtu proferret, & interpretando intacta ab alijs auide tectaretur. Cupiebat enim obſcuris authoribus lucem dare, & rancidæ vetuſtatis vocabula iam planè repudiata à ſanis ſcriptoribus, in vſum Romanæ linguæ reuocare, vti apparuit ex Commentarijs in Aſinum aureum Apulei: cuius familiaritate, horridum eloquentiæ genus, peruerſa quadam libidine induerat, ita vt honeſtę aures illud aſperum impuræ nouitatis mirari primò, & mox admittere cogerentur. Sed ingenio maximè liberali & perhumano, hæc obſoleta, & ridenda doctioribus opportunè condiebat, ea fama, vt qui omnia didiciſſe, & ſedulò docuiſſe videri potuit, in delectu, pinguis & ſupinus euaſerit. Obijt non planè ſenex, paulò poſt id tempus, quo Bononia terræmotu concuſſa eſt: & tyranni Bentiuoli domum mirabili ſubſecutæ calamitatis præſagio, dira fulmina percuſſerunt. Excepit doctrinæ hæreditatem, eiuſdem nominis fratris filius. Is nitidiore ingenio, quum ad poeticam ſe contuliſſet, dignas æternitate Odas conſcripſit, indeq́ue à Leone pontifice in intimam familiaritatem eſt receptus, collata ei Vaticanæ Bibliothecæ præfectura: ſed paratis honoribus, immatura mors celeriter inuidit.

### Myrtei.

*Sæpe nouos linguæ mirata Bononia flores*
*Non alios legit, quàm Beroalde tuos.*
*Te nunc amiſſo languent cum floribus horti,*
*Et flet delitias ad tumulum illa ſuas,*

### Quintiani Stoæ.

*Philippus ille candor, ille & optimus*
*Sophos iacet, lapisq́ue candidiſſimus*
*Tegit, tegit, Bononiæ, Bononiæ*
*Iubar: Viator aſta & inſpice, inſpice,*
*Mane, mane, Philippus ille te obſecrat,*
*Rogat, preceris omnibus, ſacrum omnibus*
*Qui iter dedit, dedit. Lapis quoque obſecrat,*
*Preceris, vt rogi leues eum opprimant.*

### Latomi.

*In lingua Venerem nequicquam quæris, Amice,*
*Partem aliam obſedit, corporis illa mei.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Hercules Strozza.



HERCVLES Strozza Ferrarienſis, Tito poeta genitus, patrem longo interuallo carminum nobilitate ſuperauit. Illuſtri enim quodam lepôre generoſi & ſolertis ingenij in aula Principis adeò clarus eminebat, vt præter grauioris conſilij munera, in quibus egregiè prudens, & paratus erat, theatralium etiam ludorũ, ac omnis elegantiæ arbiter cenſeretur: nec quicquã de cultu corporis ſumptuoſisq́ue munditijs, & ſplendore vitæ Ateſtinis iuuenibus concederet. Sed cum hac ciuilis magnificentiæ laude florentem, amatorijsq́ue vanitatibus intemperanter deditum, ille impotens Deorum, ac hominum dominator, vt fabulæ ferunt, Cupido ſæuus in præcipitem locum arripuit. Concepti ſiquidem amoris inſaniam, adeò perditis ſenſibus alebat, vt multa ac erudita largitione, tenerrimisq́ue carminibus ſummi nominis matronam colere aliquantò procacius



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

quàm liceret minimè vereretur. Qua imbrobitate, ſi nō moleſtus palàm, grauis tamen quibuſdam in arcano eſſe cœperat, quum tot illecebræ vna illa morum eleganti libertate malè tegerentur, ob idque ab odioſa obtrectatione timeri inciperet, quanquam luxato olim poplite claudus, nec alioqui planè formoſus eſſet, aut iuuenis prævalida ſcilicet apud zelotypos ſuſpicione, quum ille inter iocos cum fœminis ad eleuandam cruris deformitatem, lepido exemplo diceret, non inſulſam eſſe Venerem, quę Vulcanum probè virum, quanquam loripedem libenter admitteret. Sed demum Taurellam illuſtrem forma & natalibus viduam, vſque adeò diris auſpicijs adamauit, vt quum riualem haberet impotentem Tyrannum, cum ea fatales nuptias faceret, vt pudore coniugij repulſus riualis arceretur. Sed id non tulit vir atrox, & ſuperbus: breuique Hercules dū à cœna domum noctu mula reueheretur, interfectus eſt, neque cędis quiſquam authorem, ſilente prætore nominauit.

Aldi Manutij.

*Hoſpes, licet alio properè eundum tibi.*
*Rogo hoc legas carmen, ſcio miſerebere,*
*Humanitas quæ eſt tua. Poetæ hîc ſunt ſita*
*Oſſa Herculis Strozzæ, poeta qui ſatus*
*Patre eſt Tito. Quôd ſi cupis cognoſcere,*
*Qualis poeta vterque, queis honoribus*
*Quantiſq; præditus fuerit in patria,*
*Quámque inclytis Strozza orta gens maioribus:*
*Longum foret narrare: id è libris potes*
*Cognoſcere hoſpes, quos pater, quos filius,*
*(Nam excuſſi habentur) fecit excultis modis.*
*Cantauit Anthiam, atque Phylloroen pater,*
*Quoſque tulit heroas familia Eſtenſium,*
*Inuiſáque arma matribus. Lucretiæ*
*Hic Borgiæ laudes, decuſque heroidum*
*Quot ſunt, fuêre, quotque erunt. Hic & Deos*
*Canebat, & Gigântas, & bella horrida,*
*Ac multa alia, cum rapitur. Heu Fata impia*
*Egiſſet integram vel ætatem alteram,*
*Non ſua minus gauderet hoc Ferraria,*
*Quàm aut Mantua Marone, aut Catullo nobilis*
*Verona, Venuſiumúe Horatio ſuo.*
*Heu ter, quater crudelia, heu fata impia,*
*Monimentum & ipſe exegit ære perennius,*
*Atque altius pyramidibus regum, Iouis*
*Quod ira nunquam diruet, tempuſúe edax,*
*Aut Aquilo impotens, maliúe ignes, virum*
*Nam ſibi dicatum oppetere, Pierides vetant,*
*Sed mulierum quæ eſt gloria, & honos, Barbara*
*Taurella coniux quàm pientiſſima, viro, &*
*Vnà vt quieſceret ipſa, donec corporum*

Erit ex-

*Erit excitatio, ſibi hoc viua poſuit.*
*Hoc te volebam ſcire, iamque abi, & vale.*

## Bembi.

*Te ripa natum Eridani Permeſſus alebat:*
*Fecerat & vatem Marſque Venuſque ſuum.*
*Iniecère manus iuueni, & fatalia duris*
*Stamina pollicibus perſecuère Deæ.*
*Vxor honorata Maneis dum conderet vrna:*
*Talia cum multis verba dedit lachrymis:*
*Non potui tecum dulcem conſumere vitam:*
*At iam adero amplexans te cinerem ipſa cinis.*

## Tibaldei.

*Herculis hic Strozzæ tumulus quem condidit vxor,*
*Taurellæ mœrens Barbara gentis honos,*
*Plus dederit quamuis, non hæc Mauſole, meretur*
*Plus tua Fortuna, hæc non pietate minor.*

## Latomi.

*Se Venus occultans Martis damnauerat vſum,*
*Caſtè cum fabro viuere certa ſuo.*
*Non tulit ille ferox: & ſe quærendo fatigat,*
*Alterutrum, vel quò tradat vtrunque neci.*
*Fruſtra at diſcurſans cœli per compita, luſtrat*
*Lemnum, Imbrum, Lyparam, cumq; Amathunte Paphum,*
*Pergit ad occiduas mundi perquirere parteis,*
*Maximè vbi Eridanus læta per arua fluit.*
*Hic videt inſignem, claudo ſed poplite, Strozzam,*
*Quem circum ſemper plurimus ignis erat.*
*Hinc Mars non dubius Vulcanum credidit illum*
*(Quomodo enim vatem noſceret ille ferus?)*
*Non, ait, effugies: nec nox tibi fumida, nec quòd*
*Mula, præſidio, claude veharis, erit.*
*Dixit: & intorſit ſæuum per tempora ferrum,*
*Tempora puniceis ſæpe reuincta roſis,*
*Ille abijt: aderat mox Cypria conſcia cædis,*
*Efflantique animam ſic ait illa viro:*
*Plus ſatis ad vitam ceciniſti carmina: poſthac*
*Tu mecum, & tecum noſter Adonis erit.*
*Certè indignus eras: ſed pro qua multa tuliſti*
*Viuus, debebas & mihi Strozza mori.*

# Bartholomeus Cocles.

BARTHOLOMEVS Cocles humili genere Bononiæ natus, ingenio nec mediocribus quidem literis imbuto, ſed à cœleſti quodam munere, diuino ac admirabili vaticinandi, artes curioſè, atque feliciter excepit, erectas nuper, ac illuſtratas ab Antiocho (ſe enim metopoſcopum, & chiromantem profitebatur) magno hercle Aſtrologorum pudore, qui laborioſis genituræ ſupputationibus ſæpiſsimè fallerentur. Publicarat enim ingenti fama codicem cum effigie linearum, characteres, & notas artis continentem, vt & hac quoque liberalitate tanquam promulgato totius doctrinæ myſterio, ignaras vitæ euentus curioſorum mẽtes circunduceret, valido hercle accedente patrocinio Achillini ſummi philoſophi, qui luculento prœmio aduerſus calumniatores, Coclitis ſcripta, tanquam inſigni galea muniuerat, vſque adeò ſtudioſè ac appoſitè, vt intertextis paſsim ex phyſica ratione quibuſdam neruis, probè conſtituta, vallataque, vel inanis facultas vna iam, nec ignobilis liberalium artium, acclamatione publica cenſeretur: & eo quidem clariore authoris exiſtimatione, quòd ipſius Antiochi, & Corui Mirandulæ placita grauibus argumentis, tanquam incerta conuellerentur, ita pronis ad credendum auribus, vt multi ſtabilis alioqui prudentiæ, ab hoc adumbratæ rationis præſtigio circumducti, penderent ab ore Coclitis, & de priuatis rebus ſtatuerent: quandoquidem quotidianis prædictionibus, futura tanquam præſentia ſentirentur. Extat de his præclaræ, ac admirabilis fidei Catalogus, ipſius Coclitis manu perſcriptus, de ijs, quibus varia violentæ mortis pericula denunciauit, exactiſsimo poſt eius interitum Fortuna obſequentis euentu comprobatus. Quo fit, vt me quoque inueteratæ exercitationis in hac luce Romana non facilè credulum ſenem, in ſententiam adducat ipſe exactæ ætatis, & integri iudicij Lucas Gauricus, quum ingenuè fateatur, ſe à Coclite, ſeuerè, amiceque admonitum, vt violenti cruciatus cauſas effugeret, quum id ipſe, ſui natalis, negligẽtia patris, ignarus, ex ſyderum ſcientia anteuertiſſe nequiuerit. A Ioanne enim Bentiuolo arreptus, & ex præalta trochlea ſuſpenſo fune quinquies quaſſatus, ideo pœnas dederat, quòd exceſſurum patria, & dominatu in eius anni prognoſtico pronunciaſſet. Sed aliquantò acerbiorem non irritæ diuinationis pœnam Cocles promeruit, quum inuitus, & planè coactus, Hermeti Tyranni filio, dixerit, futurum eſſe, vt exul in acie cæderetur. Non tulit ſanguinarius Hermes fatali metu perculſus, vel prouocatam oris libertatem, iuſsitque Copono, vt Cocles, tanquam futuris inferijs ſuis expiando dolori victima mactaretur. Præuiderat necis diſcrimen Cocles: ideoque ſecreta galea caput munierat, ingenti gladio, quem peritiſsimè ambabus manibus regebat, ſemper armatus: ſed fatales inſidias vitare non potuit, quum à perſonato baiuli habitu Copono, dum ſeræ oſtij, calculo iniecto præpeditæ, clauem inſereret, adacta in occipitium ſecuri ſterneretur, non aliam quoque patrati facinoris cauſam afferente Copono, quàm quòd ipſe Cocles, breui, & ſceleſtè homicidam futurum edixiſſet.



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

## GVIDONIS POSTHVMI.

### Coponus loquitur.

*Quis melior Vates? Quis Coclite verior augur?*
*Falſa canit, atque hæc cogit habere fidem.*
*Grande mihi nuper ſcelus, ac graue crimen inuſſit,*
*Quale vel ipſius pectus habere neges.*
*Puriter exegi tamen, ac ſine crimine vitam*
*Hactenus, ille autem dicere vera ſolet.*
*Quidnam hoc Phœbe igitur? Certè illum haud multa fefellit*
*Linea, quam heu noſtras damnat habere manus:*
*Namque vbi ob hoc noſtra cecidit malus ille ſecuri,*
*Cœpi ego, ne falſum diceret, eſſe nocens.*

### Pontani.

*Cur caput armatum galea? latus enſe reuinctum eſt?*
*Vim fati radios dixtin' habere tuos?*
*Sed video melius Fatum eſt neſcire: ſcyſſe*
*Quando nihil prodeſt, tela, nec arma valent.*

# Ioannes Cotta.

IOANNES Cotta apud Alieniacum pontem, id eſt oppidum ſupra Atheſim, humili genere ortus, præaltum in literis ingenium oſtendit: in agreſti enim ore, generoſi ſpiritus indoles ita latitabat, vt in ſermone, ſcriptoque mira felicitas emineret. Hauſerat enim pertinaci ſtudio, euolutis vtriuſque linguæ optimis authoribus, tantas eruditionis opes, vt à ſtupenda memoria clarus haberetur, & antiquæ dignitatis carmina perſcriberet. Aperuerat ludum Laudi Pompeiæ, quòd ibi nupta erat eius matertera. Sed demum inde Neapolim ad Pontanum ſe contulit, ſecutusque aliquandiu Sanſeuerinum, & Cabanilium proceres, trãſiuit ad Liuianum Venetorum ducem, qui Muſarum liberalis hoſpes academiam in agro Taruiſino ad Portum Naonem inſtituerat, euocatis in contubernium præcellentibus poetis, in queis longè demum clariſsimi (præter Cottam) Fracaſtorius, Naugerius, & Hieronymus Borgius euaſerunt. Ad Abduam autem ex ipſa Gallorum victoria, Liuiano fuſo, captoque Cotta, inſigni pietate ſe totius calamitatis & carceris comitem obtulit. Sed Galli inhumana acerbitate non miſero tantùm comitem, ſed libros & calamum, ac omnia denique tenebroſi otij ſolatia denegarunt. Impleuit alterum officij munus Cotta: ſuſceptisque a Liuiano mandatis, quum ad Iulium pontificem Viterbium perueniſſet, paucos poſt dies oborta peſtilenti febre octo & viginti annorum iuuenis interijt. Epigrammata, ac orationes eius extant, ſed Chorographiæ opus nobile verſibus inchoatum, & in Plinium erudita ſcholia, perierunt.



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

### Actij Synceri.

*Sperabas tibi docta nouum Verona Catullum:*
*Experta es duros bis viduata Deos.*
*Nulla animum poſthac res erigat: optima quando*
*Prima rapit celeri Parca inimica manu.*
*Quæ tamen vt vidit morientis frigida Cottæ*
*Hora: ſuum faſſa eſt crimen, & erubuit.*

### Marci Antonij Flaminij.

*Si fas cuique ſui ſenſus expromere cordis,*
*Hoc equidem dicam pace Catulle tua.*
*Eſt tua Muſa quidem dulciſsima, Muſa videtur*
*Ipſa tamen Cottæ dulcior eſſe mihi.*

### Cæſaris Scaligeri.

*Intra in me Cottæ Genius, quem dicere conor:*
*Aut perijt trepida mens tremefacta fuga.*
*Tu Latij Siren: ita cantu interficis omneis:*
*Nam tua qui legit, ſcribere nemo poteſt.*

### Latomi.

*Dic mihi: Pierides Venerem neſcire fatemur:*
*Sed Venus eſt carmen nil niſi, Cotta, tuum?*
*Fallor? an idcirco, Veneris quo gaudia Muſis,*
*Sera licet, repares, tam citò raptus abes?*

# Petrus Crinitus.

PETRVS Crinitus iucundo eruditoque ingenio iuuenis, cum à criſpa patris coma Etruſco nomine Riccius vocaretur, idque nomen faſtidiret, Crinitus appellari maluit. Is non iniquo iudicio habitus eſt inter Politiani diſcipulos diſertiſsimus. Extant enim, præter non illepida poemata, libri de honeſta diſciplina ſupra viginti, peramœna & copioſa varietate delectabiles: ac item quinque de Poetis Latinis laborioſè eruditeque perſcripti. Mortuo Politiano patritiorum iuuenum, qui ingenia literis excolebant, vel genere et cenſu impar promeruit, vt apud eos & ſodalis, & magiſtri munus adimpleret. Nobiles enim adoleſcentes more Socratis adamandos pariter ac erudiendos corporis ac animi pulchritudine ductus, prædicabat. Sed tanta familiaritas nequaquam certis grauitatis atque modeſtiæ finibus deſcripta, contumeliæ, ac item exitio locum aperuit. In Scandiciana enim Petri Martellij villa poſt hilarem cœnam, cùm petulantis conuiuæ manu inter iocoſam rixam frigidæ cantharo perfuſus obriguiſſet, inſolentis iniuriæ dolore ſaucius paucis diebus interijt, eo quidem ſodalium grauiore pœnitentia, acerbioreque iactura, quòd nondum quadrageſimum ætatis annum attigiſſet.

Myrtei.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

### Myrtei.

*Priſcos poetas viuere*
*Crinite dum doces, obis.*
*Ergo tibi ſuperſtites*
*Debent Poetæ non minus.*
*Ipſe amplius nihil volens*
*Debere, dono carmine*
*Hoc te ſepulchro conditum.*

### Andreæ Dactij.

*Heus, audi, properes licet Viator:*
*Criniti tumulo teguntur iſto*
*Dilecti cineres ſacris Camœnis.*
*Hoc ſcires volui, recede felix.*

### Latomi.

*Iactent perpetuam, quòd vates carmine vitam,*
*Hanc quoque pro arbitrio dent adimantque ſuo.*
*Mortem irritarat, veteres vt acerba poetas*
*Temporis æternas mergeret in tenebras:*
*Séque tuebatur, donec Crinitus & illos*
*Temporis, & mortis tolleret è manibus.*
*Qualemcumq́ vicem, quanuis ſim victa, rependam*
*Mors ait: & certè tu mihi ſtultè lues.*
*Túne magis ſtulta es, quæ illum euertere ſperas,*
*Per quem tam fœdè tempus, & ipſa iaces?*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Hieronymus Donatus.



ENITVIT in Hieronymo Donato Patritio Veneto, ſupra oris, atque ſtaturæ dignitatem, ſenatoria prudentia ſingularis, præcellenti doctrinæ præſidio, & multo rerum vſu conſtituta. Attuliſſe ſiquidem videtur in omnem actionem mores longè lectiſsimos, & præclaris diſciplinarum omnium luminibus illuſtres, quibus poſtea Iulium Secundum Veneto nomini grauiter iratum, & cōſpirantibus externis regibus, ſæuo bello maieſtatis iniuriā vindicantem, non leniuerit modò, ſed impetrata pace, ictoq; fœdere conuerterit. Quo felicis ingenij ſupremo opere, iam penè conuulſum radicitùs eius Reipublicæ ſtatum, ſeptennio reſtitutum vidimus. ſed induſtriæ ſuæ fructum ſentire non potuit, paulo antè Romæ morbo extinctus, quàm Gallus grauis hoſtis Italia pelleretur. Verùm ex ea legatione, eximia laus totius Italiæ iudicio parta, perpetuis annali-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

annalibus ad poſteros tranſmittitur, nec erit ingrata patria, quin meritum decus optimo ciui inſtaurata nominis memoria perſoluat. Monumenta eius ingenij digna luce, quòd publicis occupationibus abſolui nequiuerant, filij ſuppreſſerunt, edito libro aduerſus Græcos, vaniſsimè de ſacrorum principatu cū Romano pontifice contendentes. Legitur etiam libellus Alexandri Aphrodiſei de Intellectu, è Græco in Latinum puriter ac appoſitè traductus. Extant etiam aliquot Epiſtolæ, multa ſtyli grauitate conſcriptæ: ex his ea præſertim, qua Gallici fœderis compedes Maximiliano Cæſari exuendas perſuadet: altera qua concuſſæ ingenti terræmotu Cretæ inſulæ, cùm ipſe præſideret, clades terroresque deſcribit.

### Myrtei.

*Donate, diuûm munere*
*Fudiſti vt orbi nectaris,*
*Quantúmque manat gratiæ*
*Diuino ab ore cælitum.*
*Seruaſti, & exul patriam:*
*Dijs reſtitutus denuo*
*Orbi quærenti deſeris*
*Nil præter oſſa & lachrymas.*

### Latomi.

*Plus quàm Roma ſuo Gallis defenſa Camillo,*
*Hoſtem ſemel quem fecerat:*
*Donati meritis nullo non tempore ſummis,*
*Semperque ciuis optimi,*
*Illáque non vnis erepta potentibus armis,*
*Regina debet Adriæ.*
*Atque illo vberius: patriæ quòd commoda ſpectans,*
*Spreuit paratam gloriam,*
*Quàm raro ingenio multam cumularat Apollo.*
*Sed patriæ donatus eſt.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Alexander Achillinus.



ALEXANDER Achillinus Bononienſis, accuratus Auerrois interpres, quum Patauij philoſophiam profiteretur, ſolidæ conſtantisque doctrinę famam obtinuit, vel ipſo Pomponatio acri æmulo inſidioſa ambitione ſcholam eius depopulante. Erat enim à ſumma ingenij ſimplicitate ambiendi, adulandique prorſus imperitus, vſque adeò, vt ſalſæ petulantiq; iuuentuti, quanquam doctrinæ nomine in honore eſſet, ridendus videretur, & tum maximè quum deambularet vndulatis paſsibus, coccina in toga exoleti moris, aſtrictas ſcilicet habente manicas, & nullis à tergo defluentibus rugis, lutrina pelle fimbriatas: renidentique ſemper fronte, & ſermone pingui vel inepti, vel contemplantis ingenij vitia fateretur: ſed æmulum in corona veteratoriè diſputantem, & riſum ſalſa dicacitate ſæpius excitantem, ipſo inuicto doctrinæ robore ſuperabat.

Edide-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Ediderat enim iam pridem ex Peripatetico dogmate ſingulos libros, de Elementis, de Intelligentijs, et de Orbibus, ſecutus opiniones Auerrois, quibus totius ingenij ſui fama nitebatur. Concidente autem Patauino gymnaſio inter exorti belli ſtrepitum, Bononiam reuerſus exceſsit è vita, quum nondum quinquageſimum expleuiſſet annum. Tumulus eius cum hoc carmine in æde diui Martini conſpicitur.

Iani Vitalis.

*Hoſpes, Achillinum tumulo qui quæris in iſto,*
*Falleris, ille ſuo iunctus Ariſtoteli*
*Elyſium colit, & quas rerum hic diſcere cauſas*
*Vix potuit, plenis nunc videt ille oculis:*
*Tu modò, per campos dum nobilis vmbra beatos*
*Errat, dic longum perpetuúmque vale.*

Latomi.

*Quiſquis Auerroem cenſes habuiſſe cerebrum,*
*Falleris: haud eſt me paſſus habere meum.*
*Regula non fallit: Propter quod quodlibet vnum*
*Taliter affectum eſt, ſed magis illud erat.*

# Bernardinus Corius.

NON eſt cur Bernardinum Corium Mediolanēſem quiſquam eruditus contemnat & irrideat, quòd immenſum rerum geſtarum volumen, incondito ac inepto ſermone perſcripſerit. Honeſto enim loco natus, & gloriolę cupidus, quum pro ingenij captu vernacula idiotiſque familiari lingua vteretur, optimam ciuibus ſuis attulit voluntatem, idque vnum ſcribendo reſpexit, quòd curioſis aut nobiliore facundia ſcripturis maximè prodeſſet, atque inde nominis ac induſtriæ laus ad poſteros proferretur. Nam ſi Cæcilij Plinij teſtimonio hiſtoria quouis modo ſcripta delectat, quod lux temporum, nuncia veritatis, et magiſtra vitæ cenſeatur, huic ciui ſuo plurimum profecto Inſubres debebunt: qui ingenuo labore interciſam, & planè ſepultam grauiſsimarum rerum memoriā, diligenter inquirendo conſuendoque ad ſingularem vtilitatem poſteris reprę ſentauit. Fuit enim vir amantiſsimus patriæ, & nuſquam factioſus: minutiarū adeò diligens indagator, vt cùm hiſtoriæ ſtudioſis perutilem, & iucundam afferat voluptatem, nihil moroſis & delicatis officiat. Nam in enarrandis rebus, quibus ipſe interfuit, fide & diligentia mirus agnoſcitur, quando eum in aula ſplendidè verſantem, & ex ſecretioris archiui copia, opportunè adiutum nuſquam arcana feſellerint. Perijt Gallis Mediolano potitis ante ſexageſimum ætatis annum, Ludouici Principis, & Aſcanij Cardinalis calamitate perturbatus. Publicauit Hiſtoriæ volumen viuus priuato ſumptu, ac ob id graui rei familiaris damno, quoniam dum ſpectare gloriam videri vellet, reſarciendi ſumptus,



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

nouique lucri inanem ſpem, aſtuta chalcagraphorum perſuaſione concepiſſet. In ſepulchro eius tale inſcriptum carmen legitur.

**Incerti.**

*Bernardine tibi Inſubres debere fatentur,*
*Non minus ac magno Roma ſuperba Tito.*

**Latomi.**

*Scripſiſti patriæ: patria & tibi grata rependit*
*Ad buſtum aſsiduas cum gemitu lachrymas.*
*Indoluit Phœbus, lachrymasque in flumina roris*
*Et gemitus Zephyros vertit in herbiferos.*
*Illa rigant latè terram, terra ebria florum*
*Gignit opes: circum laurea ſylua viret.*
*In quam dum Zephyri incumbunt, vox redditur iſta:*
*Viue Cori patriæ, viuat vt illa tibi.*

# M. Ant. Turrianus Veronen.

QVAM vides Marci Antonij Turriani Veronenſis effigiem, nullis idcirco interlitam picturæ coloribus, ſed carbone tantum atque vnis vmbrarum finibus deliniatam, hoc loco dicauimus, quod ille diuino præditus ingenio, dum exactæ ætatis inueteratæque authoritatis medicinæ profeſſores interpretationum ſubtilitate ſuperaret, prius immiti Fato gymnaſijs eſt ereptus, quàm admirandæ vtilitatis exquiſitæque doctrinæ inchoata opera abſoluerentur. Elaborabat is profitendo ſimul, atque ſecando damnatorum cadauera anatome volumen ex placitis Galeni, quo Mundinum rudis ſeculi ſcriptorem, & Zerbum in eodem negocio delirantem iugularat. Hic eſt Zerbus, qui ambitioſo auaroque ingenio, quum accitus grandi pecunia penetraſſet ad Triballos, vt Schenderbaſſam recenti & luctuoſa in Euganeos irruptione clariſsimum intercute morbo liberaret, nec demum quod inflatè promiſerat morienti præſtaret, à Barbaris ſeruis, vt domini manibus ea ſcilicet victima parentaret, trucidatus interijt: ita vt lepidè Turrianus in eum iocaretur, cum libri eius errata diſpungeret, quaſi iure conciſus eſſet, quod magna diſcentium iniuria perperam ſecando cadauera, ipſe viuus meritam talionis pœnam ſubiſſet. Natus eſt Turrianus ex ea perilluſtri familia, quæ ante ducentos annos Inſubribus imperarat, patre peracuto excellentique medicinæ profeſſore, ita vt non mirum ſit ab ineunte ætate in eadem educatum diſciplina, multò maturius quàm quiſque alius ad primos ſuggeſtus honores Patauij & Ticini perueniſſe. Præferebat os maximè venuſtum, ſerena quadam comitate occurrentium animos alliciens: verùm docendo & diſputando mirus, prolatis Græcis authoribus, pudendos errores, & vitæ quidem exitiales oſtendebat, in quos medici ex herbariæ facultatis ac anatomes inſcitia cecidiſſent. Hoc eximio præceptore in gymnaſio Ticinenſi ſtudiorum noſtrorum vigilias pro concione laudante, de liberalibus diſciplinis, atque arte medica lauream, et annulum comprobatæ dignitatis ornamenta acceptimus,

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

cepimus. Nec multos poſt menſes quum ad ripam Benaci locus ſeceſsiſſet, peſtifera febre triginta trium annorũ iuuenis ereptus eſt, quum Iulius pontifex in pſeudo Cardinales, fauenteſque eis Gallos victricia arma in luctuoſum vtriuſque Rauennatis pugnæ euentum expediret. Luxêre Turrianum cuncta gymnaſia, & diuturnis quidem lachrymis. Nemo enim eo in literis abſolutæ virtutis illuſtrius ſpecimen, nemo certiorem conſummatæ gloriæ ſpem dederat. Ad meritos autem titulos Veronæ nobili tumulo inſcriptos, Nicolaus Archius hoc lepidum carmen appoſuit.

*Ante annos ſciuiſſe nocet, nam maxima virtus*
*Perſuaſit morti, vt crederet eſſe ſenem.*

## Cæſaris Scaligeri.

*Suada, Venus, Nemeſis, Charites, Sapientia, Muſæ,*
*Amplexæ in cunis pectora Turrioli*
*Pro ſe quiſque ſibi trahere & contendere: verùm*
*Cùm ſors, viſque ſimul omnibus æqua foret,*
*Marte ſupperueniente, Venus, committimus, inquit,*
*Vno aſſenſu hominem iudiciumque tibi.*
*Ille ferox gladium nudans, Hoc vicimus. Aut vos*
*Hunc mecum: aut totus ceſſerit ergo mihi.*

## Latomi.

*Quam cernis vnis linearum finibus*
*Nullo colore præter hanc fuliginem,*
*Has inter alias dedicatam imagines:*
*Ad vindicandam mortis eſt iniuriam,*
*Ab hoc locata literarum vindice.*
*Nam Turriani illius eſt Antonij,*
*Qui ſanitati quum tuendæ incumberet,*
*Et proferendæ ætatulæ mortalium*
*Daret ſalubria, amoueret noxia*
*Ætatis ipſo, & artis, & conatuum,*
*Morte inuidente, raptus eſt è carcere:*
*Metam tametſi iam videret vltimam.*
*At hæc tua eſt ô Turriane gloria,*
*Quòd in theatro ſolus hoc pulcherrimo*
*Mortis pudendo cum pudore prodeas.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Lancinus Curtius.

LANCINVS Curtius Mediolani honeſta ortus familia, inter Merulæ ſectatores Græcè & Latinè doctiſsimus euaſit, ſed quadam volucri, nec planè ſana ingenij liberalitate, per omnes ſciẽtias euagatus, nuſquam ad integrum decus conſtitiſſe videtur, vtpote qui paſsim vtroque ſtylo, & ſcaber & obſcurus, diſsipato variè doctrinæ lumine, evolviſſe cuncta volumina videri mallet, quàm puri & circumſcripti poetæ nomen appetiſſe. Eius enim Syluæ, quæ iam pridem in publicum exiuerunt, quanquam denſa illa & peragreſti arborum luxurie, vti maximè frondoſæ alteque ſurgentes quibuſdam placere poſsint: præpedientibus tamen vepribus horridæ inacceſſæque exiſtimantur, adeò vt vrbanus lector reformidata ſitus nouitate, in limine hæreat. In libris porrò Epigrammatum videre eſt in multa duricie nonnunquam molles facetias, quæ riſum ſalsè permoueant. Sed hoc multò iucundius atque lepidius conſecutus videtur, quũ præpingui Inſubrum lingua ſcitè numeros iocanter effunderet. Anguineos etiam, quos vocant, verſus, miris modis & numeris conformabat, ita vt recto & conuerſo quoque ordine quadrati epigrammatis introrſus exempta verba aliud carmen efficerent, quod priori ſententiæ percoſtas, & diametros ex obliqua ſerie mirabiliter arriderent, inani hercle & planè ridenda cum laude, cum tanto ſudore delirantis ingenij, ab inepta et rectis literarũ ſtudijs, exitiali voluptate fama quæreretur. Cæterùm contentus paruo, ſibique ſoli (vti ſæpe dicebat) & genio ſuo viuens, & cælebs, & liber ſine labe nominis ad ſenectutẽ peruenit, nihil obiter immutato vetere cultu, cùm cæteri ciues non obſcura confeſsione ſeruitutis aduentu Gallorum, peregrinam induti veſtem, & capillum ad aurem ſubtondentes, eum priſtino more togatum, prolixeque comatum petulanter irriderent. Moriens de ſepulchro ſibi cauit, quod in templo diui Marci extra Beatricem portam cum verà effigie & hoc carmine ſpectatur.

Stephani Dulcini Cremonenſis.

*En virtutem mortis inſciam*
*Viuet Lancinus Curtius*
*Secula per omnia,*
*Tantum poſſunt Camœnæ.*

Latomi.

*Arguor vt nimium ſalebroſo in carmine durus.*
*Quid facerem? vita eſt taliter acta mihi.*
*Tradere difficile eſt tenero mollique poetæ*
*Virtutis duram difficilemque viam.*

BAPTI.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Baptiſta Mantuanus Carmelita.



BAPTISTA Carmelitani ordinis princeps, Mantuæ ex Hiſpaniola gente honeſta, verùm ex damnato coitu natus naturam ad carmen attulit, verùm inſatiabili Hebraicorum ſtudiorum cupiditate ita occupatam, vt cum magnus & admirabilis in omnibus videri contenderet, in excolendis Muſis curam ac diligentiam remittere cogeretur, quibus vnis non dubius ad æternitatem gradus parabatur, ſi certa laude contentus, in reliquis inane nomen tempeſtiuè contempſiſſet. Sed incidit in ea tempora, quibus nullus mediocribus poetis locus erat, reperit tamen ſibi æmulum incondito furore, Conſalui magni res geſtas decantantem, cuius exploſione clareſceret. Is erat Cantalicius pro bono poeta ab optimo duce mediocris etiam virtutis amantiſsimo liberaliter ditatus. Verum & hunc, & ipſum quoque Carmelitam deſumpto eodem argumento, Grauina



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

malæ partæ laudis loco ſtrenuè deturbauit, quum inchoatum poema nobile, Pontano atque Actio cenſoribus recitaſſet. Cæterum Carmelitæ ſatis ad laudem fuit, quod per quindecim ſecula neglectos à ciuibus Andinos fontes ſalubriter ebiberit, ſcilicet vt fatali monitu limpidioris eius aquæ ſiphones Lęlio ac Hippolito Capilupis fratribus monſtrarentur. Octogenario maior Mantuæ deceſsit non planè felix, quum in extremo vitæ actu defenſionem contra Criticos ſcribere cogeretur, qui eius poemata obeliſcis non inanibus miſerè confodiſſent. Sacrato poetæ mortuo cucullati eius ordinis ſacerdotes prolixè parentarunt. Federicus autem Princeps marmoream effigiem cum laurea poſuit, quę in arcu lapideo iuxta Virgilij Maronis ſimulacrum, pia hercle, ſi non ridenda comparatione conſpicitur.

Myrtei.

*Alter hic iacet à Marone Vates,*
*Natus Mantuæ, & is quidem Poetæ*
*Dignior titulo, niſi incidiſſet*
*In fluctus varios ſcientiarum,*
*Quo Muſas coluit minore cura.*
*Primus hic tamen à Marone natus*
*Mantuæ, coluit Poeta Muſas,*
*Andinosque bibit ſacro ore fontes.*

Latomi.

*In ponte iuxta quos locatos cernitis,*
*Virtutis ergò, patriæq́ gloria,*
*Vterque Vates, & quidem ortu ciuis eſt.*
*Quos cognitos licet tamen ne neſcias,*
*Alter Maro, alter ille Mantuanus eſt,*
*Quem nil vetabit & Maronem dicere,*
*Penſare venam ſi poteſt profeſsio.*

# Franciſcus Marius Grapaldus.

QVVM Parmenſes poſt exactos Gallos ad Iulij pontificis authoritatem ſe contuliſſent, Marius Grapaldus à præſtanti facundia, & inſigni corporis proceritate legationis princeps, luculentam de laudibus inuicti optimique pontificis habuit orationem: ediditque item pari argumento carmina eximię grauitatis. Quo demum officio appoſitè ac eleganter patriæ præſtito, honoris cauſa lauream à Pontifice de manu erudito capiti impoſitam ſolenni ceremonia, in Vaticano conſecutus eſt. Exinde tanto honore alacer, Muſas tanquam non obſcurè propitias vehementius laceſsiuit, vt ex publicatis poematibus oſtenditur. Sed multo vberius & latius ingenij famam propagauit, edito libro de Partibus ædium, quo per optimas diſciplinas perornatum diligenti cultura ingenium demonſtrauit. Fato functus eſt in patria poſt quinquageſimum ætatis annum,

annum, quum interiores meatus emittendo lotio globoſior calculus obſtruxiſſet.

Georgij Anſelmi.

*Emeritam hic laurum Aonides, plectrumq́, lyramq́,*
*Grata tibi ex merito turba Grapalde dicat.*
*Vt tumuli miſera erexit leue nomen inanis,*
*Soluit & ad vacuos, vt ſua iuſta rogos.*
*Nam te, nec fas eſt humili cohibere ſepulchro*
*Tam rara inſignem qui ſtruis arte domum.*
*Redditæ vbi doctis voces, vulgoq́ue receptæ,*
*Haud dubiam faciunt non obijſſe fidem.*

Iani Vitalis.

*Tu Grapalde tibi magna pro mole ſepulcri*
*Erigis ingentem perpetuamq́ue domum:*
*Occupat illa ſuis immenſum finibus orbem,*
*Altaq́, ſublimis ſidera tangit apex:*
*Et meritò. neque enim tumulo tua gloria claudi,*
*Cum volitet mundi clauſtra per ampla poteſt.*

Latomi.

*Colluſtrans amplas Marius quas ſtruxerat ædeis*
*Extulit artificem Mors ſtupefacta manum.*
*Quæ tamen, vt bile iuſto ſeruentior atra,*
*Subridens, tumulum (dic, ait) hoſpes, vbi?*
*Iam video cæca es, nedum (intulit ille) maligna:*
*Pro tumulo erexi hanc inuidioſa domum.*

# Thomas Linacrus.

THOMAS Linacrus ex Inſula Britannia ad perdiſcendas Græcas literas in Italiam profectus, Florentiæ Demetrium & Politianum audiuit, eaque enituit morum ſuauitate, atque modeſtia, vt à magno Laurentio liberis ſuis, familiari ſtudiorum conſuetudine, quanquam ætate maior, ſocius adderetur. Inde verò multis variæ doctrinæ ornamentis adauctus, quum Romana quoque ingenia certius agnoſcenda, ac opulentiores bibliothecas inſpiciendas exiſtimaret, ad Vrbem contendit. In primo autem appulſu fortè accidit, vt Hermolao Barbaro amicitia iungeretur. Nam ingreſſo Vaticanam Bibliothecam, & Græcos codices euoluenti, ſuperuenit Hermolaus, ad pluteumq; humaniter accedens, Non tu hercle, inquit, ſtudioſè hoſpes, vti ego planè ſum, Barbarus eſſe potes, quòd lectiſsimum Platonis librum (is erat Phædrus) diligenter euoluas. Ad id Linacrus læto ore reſpondit, Nec tu ſacratè heros, alius eſſe iam potes, quàm ille fama notus Patriarcha Italorum Latiniſsimus. Ab hac amicitia (vti caſu euenit, feliciter conflata) egregijs demum voluminibus ditatus in Britanniam redijt: datusque eſt præceptor Arcturo Regis filio: cui dicatam Procli Sphæram legimus. Tranſtulit demum ex felici vigilia Galeni



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

leni librum de Tuenda Valetudine, quum in arte medica æquè doctus & fortunatus ſpectaretur. Verum ab eo munere, veluti quæſtuoſo potius, quàm ad parãdam perennem gloriam nobili, refugit ad antiqua optimarum literarum ſtudia, reuocatus ſocietate Latomeri, atque Grocinij, qui conſtituto Triumuiratu, ad immortalem laudem, vertendum Ariſtotelem communicato labore ſuſceperant, ſed Grocinius, ad oblatum ſibi ſacerdotium à decreto fideque diſceſsit, & Latomerus conſilio excuſſus eſt, ita, vt Linacro egregiæ voluntatis decus maneret apud Henricum Octauum. Sexageſimo autem, & quarto ætatis anno, ex dolore diſruptæ herniæ vita excedens, honeſtam domum Londini Medicorum collegio dedicauit.

### Iani Vitalis.

*Dum Linacrus adit Morinos, patrioſque Britannos,*
*Artibus egregijs diues ab Italia:*
*Ingentem molem ſaxorum in rupibus altis,*
*Congerit ad fauces alte Gebenna tuas.*
*Floribus hinc, viridiq; ſtruem dum fronde coronat,*
*Et ſacer Aſſyrias paſcitur ignis opes:*
*Hoc tibi, ait, mater ſtudiorum, ô ſancta meorum*
*Templum Linacrus dedicat, Italia.*
*Tu modò cui docta aſſurgunt cum Pallade Athenæ*
*Hoc de me precium ſedulitatis habe.*

### Latomi.

*Dum longum Italiæ vale iuberet,*
*Thuſque in graminea cremaret ara,*
*Qua tuas aperis Gabenna fauceis.*
*Linacrus patrios petens penateis:*
*Sic amore viri locuta fertur*
*Arnis, impatiens Etruſca nympha:*
*Ah, ſic Arnida? ſic tuam puellam?*
*Sic linquis veteres tuos amores?*
*Et præ me petis Anglicas puellas?*
*Quid rerum hîc quod ames valet deeſſe,*
*Illic quod cupias poteſt adeſſe?*
*Gaudes Barbarie? Hermolaon eccum: at*
*Quem pro delitijs habent Camœnæ.*
*Sin autem caperis nitore linguæ,*
*Hoc nil terſius eſt Politiano.*
*Sed gaudes refluum vehi per æquor?*
*Ah, ijs iam in lachrymis potes natare:*
*Et quæ te huc reuehent, redito tantùm.*
*An rupeis patrias amas videre?*
*Te, Linacre, aperi: nec ibis vltra.*
*Quid? quòd Italiam miſer relinquis,*
*Quum ſis Italica eruditione,*
*Romano ingenio, lepore Thuſco?*
*Totus noſter homo es: ſed Angla mens eſt.*
*Ille abiuit: & hæc ſoluta in vndas.*

ANTO-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Antonius Nebriſſenſis.



HISPANIA per mille amplius annos, Vandalicis, Punicisque armis occupantibus, Latinarum literarum ſplendore caruit, alioqui non obſcura telluris, cælique temperie maximorum ingeniorum ferax, ſi Lucani, Senecarum, Silij, Martialisque memoria recolatur, vt hic Auerroem in Arabica lingua, ſapientiæ lumine clariſsimum omittamus. Hiſpaniæ enim proceres, totaq; nobilitas perverſam opinionem de literis induerant: ſic, vt earum ſtudia, quum pro libertate aduerſus externas gentes dimicarẽt publica cõſpiratione damnarentur, quaſi aliena, importunaq; virtuti bellicæ, qua vna ſalus, & libertas omnium certiore laude pararetur. Sed poſt Punicũ nomen, virtute Ferdinãdi Regis Hiſpania pulſum, Antonij Nebriſſenſis ingenium emicuit, par antiquis Grammaticis,

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſi par Fortuna ſeculi, anhelanti ad veterem laudem opportunè reſpondiſſet. Hic Nebriſſæ, quæ olim Veneria fuit, ad Bethim natus, ſcribendo & docendo iuuentutem, admonitis caſtigatisque natu maioribus, ad antiquum decus literarum vehementer erexit. Conſtat enim eum, literarum amore ſponte exulantem, ferè totius Italiæ gymnaſia colluſtraſſe, collegiſſeque dignos nobili voto, Græcæ, Latinæque linguæ theſauros: quibus terra patria ditaretur. Dicebat enim proceribus ad arma natis, ſerò exactæ artis, & diſciplinæ exempla, vel longo vſu percepturos, ſi literarum lumine carerent: quo vno ſtolidè ſublato, tota bellica laus celeriter euaneſcit & intercidit. Paucis itaque annis effectum eſt, vt nemo, qui literarum ſtudium reformidaret, ſatis nobilis haberetur, ipſeque Antonius, non ſecus dereſtitutis poſtliminio literis, quàm Ferdinandus, Granata capta, Mauriſque pulſis, glorioſè triumpharet. Scripſit ingenti curſu orſus à grammaticæ præceptis omnes ferè liberales diſciplinas, & ſacras literas peruagatus, multa volumina quæ extant. Expectatur autem ſummæ vtilitatis Dictionarium, quo Latinę, Græcę, ac Hebraicæ linguæ documenta continentur, ab hęrede filio hactenus impiè ſuppreſſum, quum & ipſa quoque penè ad exitũ perducta, Bethici belli hiſtoria in lucem non prodeat. Oppreſsit eum repentina paralyſis, quum ad ſeptuageſimum ſeptimum ætatis annum perueniſſet, tantò quidem corporis ingenijque vigore, vt nihil de ſtudiorum labore omnino remitteret: & vt natura mulieroſus, ad ſupremum vſque diem venereis vteretur. Obijt ſub id tempus, quo popularibus vlterioris Hiſpaniæ ad arma conſternatis, aduerſus Belgas præſides tanquam auarè imperantes, grauiter eſt tumultuatum.

## Myrtei.

*Me putat æternum ſaxo poſuiſſe ſub imo*
*Acerba mors, & fallitur.*
*Non ingrata etenim mea gens volitare per ora*
*Dat, & per oras omnium.*
*Hæc mihi pro reduci ſtudio, Latijsque Camœnis*
*Certè trophæum non minus,*
*Quàm tibi pro Mauris debet Fernande fugatis*
*Et pro recepta Bætica.*

## Incerti.

*Vt quondam tacuit Latiæ facundia linguæ,*
*Cum fuit Antonij cæſa manus gladijs:*
*Sic ſcelus hoc ſolers Antonij cura piauit,*
*Qamque prior vitam ſuſtulit, ille dedit.*

## Latomi.

*Secula tranſierant: neq́ adhuc Hiſpania quicquam*
*Ediderat, quales aſſolet ante viros.*

*Iamque*

*Iamque emarcuerat, neque erat quod gignere poſſet,*
*Semine maternos deſtituente locos.*
*Acceſsit Venerem Phœbus: quin hac tua in vrbe*
*Excimus, qui nos, dixit, vtrunque colat.*
*Illa ſed aſſenſa eſt, dignumque prioribus annis,*
*Tum veteri ingenio, tum veteri arte, dedit.*
*Ipſe eſt (iam noſti) duce quo Tarteſſa iuuentus*
*Ad decus antiquum ſpirat, & aſſequitur.*
*Qui licet in patrem non paulò impenſior eſſet,*
*Non tamen in matrem deſidioſus erat.*

# Bernardus Bibienna.

HOMO valde mirus in vtraque Fortuna extitit Bernardus Diuitius in oppido Bibienna, vnde ei cognomen ad ſummas Aretinorum Alpes natus. Is à pueritia inter Mediceæ familiæ clientes, primum ſolertis induſtriæ locum meritus, Leoni patria pulſo, atque exuli, ſingulari fide comes fuit, & conſiliorum quidem omnium particeps. In multa enim, & varia rerum commutatione, diuturnóque vſu grauiſsimarum actionum peracutus, efficax, & quod vnum in aula maximè conducit, iucundus veterator euaſerat: ita, vt cum Leo rerum potitus inter propinquos maturato honore legerit in Senatum. Magno ſiquidem adiumento fuiſſe conſtabat in comitijs ad promerendas ſuffragatorum voluntates, quum antea nobiliſsimis Cardinalium hero conciliatis, ad petendum Pontificatum, expeditam viam, aſtuta quadam vrbanitate muniuiſſet. Conuiuia enim in quibus erudito luxu certabatur, miris facetijs condire, ſeria iocis miſcere, adulari, reſque arduas diſsimulanter conficere ſolitus, ingenium nuſquam abſurdum, aut ineptum, in otio pariter, atq; negotio feliciter afferebat. Scripſit admirabili lepôre comœdiẽ Calandram, quæ acta eſt in Vaticano ludis Lupercalibus, pernobiles comœdos Romanę iuuẽtutis, in gratiã Iſabellę Mantuani principis vxoris, vſque adeò decenti apparatu, vt nihil ad elegantiam theatralem, ab eximio poeta comico, doctius atque facetius compoſitum, aut magnificentius in ſcena editum confiteri liceat, niſi tum cæteris patribus ſacra purpura pudorem expreſsiſſet: quum tamen à minus ſeueris dignitatem attuliſſe putaretur. Abdicauit in ea numeros primus, vt vernaculos ſales dulcius, atque liquidius fœminarum auribus infunderet: quo multi riſus hilarior voluptas excitaretur. Id enim vnum peti, quærique debere a non inſulſo poeta diſſerebat, quòd in Terentiana ſcena, verecundi ſalis prudentiam admirari quidem non ſatis poſsint ſpectatores, ridere certè nequeant, quod nullam, vel eruditæ fabulæ ineſſe gratiam putaret, niſi ab excitato populo, miſtus cachinno plauſus redderetur. Perijt non planè ſenex, quum è legatione Gallica in Vrbem rediſſet, intempeſtiua ambitione ad pontificatum aſpirans, ſi Leo, vti in Fatis erat, vita excederet, quòd ei rex Franciſcus, ex prolixa pollicitatione ſuffragaturus crederetur. id multo iunior, habituque viuacior Leo

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

in imbecillo ſene adeò indignanter tuliſſe fertur, vt ipſe Bibienna, tabifico veneno ex frixis ouis de manu in menſa porrectis, ſe petitum ſuſpicioſius, quàm decebat, exiſtimaret: inani certè argumento, quòd inſignium medicorum, vel iterata exquiſitaque remedia minimè profeciſſent.

Boccarini Aretini.

*Trunca fides, lugent Charites, periêre lepôres*
*Deſipuêre ſales, deſipuêre ioci,*
*Lurida nimirum Mors, quæ Vrbi inuidit, & orbi,*
*Diuitium immiti funere corripuit.*
*Purpureos meruit titulos. Romæ occidit, ortus*
*Eſt Bibiennæ. Hoc te ſcire ſat hoſpes erat.*

Latomi.

*Omnia captaui, nec ſegniter omnia cepi:*
*Eſt mea præcipuus præda galerus honos.*
*Preſſius at tandem captans, nec vt ante, Leonem,*
*Venator perij caſſibus ipſe meis.*

*IASON*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Iaſon Mainus.



IASONI Maino Mediolanenſi, vti ipſe in gentilitijs inſignibus præſcribere ſolebat, virtuti Fortuna comes non defuit: natus enim ex concubina, nequaquam eodem cultu, quo ęquales propinqui, ſed eodem pædagogo ſibi tantùm immiti, atque aſpero vtebatur, vt ab eo familiariter audiuimus. Ex hac ſchola miſſus Ticinum ad ius ciuile perdiſcendum, primo anno ita ingenium ad vitia, illám-



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

que ſupra cætera peſtilentem aleam deflexit, vt cum hoſpite decoqueret, & iuris Codicem in membranis ſcriptum, magno emptum precio fœneratori tradere cogeretur: ipſe verò demum ſordida in toga, capite tonſo, quod id tinea deformis obſideret, ridiculus videbatur: ſed maturè & peracerbè caſtigatus, ſeipſum collegit, bonæque frugis perſonam nequaquam mentitus, tanta contentione in ſtudijs diſputationibusque ſeſe exercuit, vt doctores ipſi, æqualiſq; iuuentus, eum adeò celeriter atque feliciter profeciſſe mirarentur. Exinde ſuggeſtu dignus, Inſtitiones enarrauit, conceſſitque demum Patauium. ſed inde quum ſecunda fama profiteretur, euocante Ludouico Sfortia Ticinum reuerſus eſt. Ab eximia tum grauitate, atque facundia ſummi oratoris laude fruebatur: nam optimis literis, vſque ad poeticum decus inſtructus, dicta, ſcriptaque lepidiſsimè condiebat. canoram vocem, valida latera, geſtum oris excellentem ad ſuggeſtum afferens explicati & perilluſtris, ſolidique doctoris nomen tuebatur. conſultoribus precio grauis videri poterat, niſi pecuniam acceptam ſi cauſa decidiſſent: liberali pactione ſe continuò redditurum profiteretur. Me audiente interrogatus à Ludouico Gallorum rege, cur nunquam duxiſſet vxorem, vt te commendante, inquit, Iulius pontifex ad purpureum galerum geſtandum, me habilem ſciat. Audiuerat enim honoris cauſa eo die aurata in toga profitentem rex ipſe, quinque Cardinalibus, & centum proceribus ſubſellia implentibus, quum Genua ſubacta, de Liguribus triumphaſſet. Ea enim lectione dignitatem equeſtrem ob ſpectatum in acie facinus de manu regis traditam, accendendæ virtutis ergò ad poſteros manare diffiniuit. Mortuus eſt Ticini valde ſenex, extructa nobili domo, emptiſque in Placentino latifundijs. Suburbano autem in templo diui Pauli ſepulchrum cum his titulis oſtenditur.

Dardani Parmenſis.

*Quis iacet hoc hoſpes tumulo? Quis? Summus Iaſon:*
*Illéne Frixeæ vellere diues ouis?*
*Clarior hic illo longè eſt. Quiſnam oro? Maynus,*
*Excellens iuris gloria Cæſarei.*
*Non fuit hoc quiſquam iuris conſultior alter,*
*Qui extinctum poſſet reddere ius melius:*
*Sed tamen hoc ſummi vetuit mens dia parentis,*
*Cæſaribus cupiens vſque fauere ſuis.*
*Te audijt, ô nimium felix, qui iura legentem,*
*Damnantemque acri plurima iudicio,*
*Nec tamen infelix, tua qui monumenta reuoluit,*
*Et memori condit lecta, fouetque ſinu.*
*Et quanquam obloqueris plebs inuida ſolus Iaſon*
*Hic legum nodos difficilesq; ſoluit.*
*Amborum ſic fama omnem vulgata per orbem:*
*Ille nitens belli laude, ſed iſte togæ.*

Iaſonis Landi.

*Donec erunt igneis, & Phœbus lampade terras*
*Luſtrabit, Mayni viuet in orbe decus.*
*Vnicus in terris ſoluens ænigmata legum,*
*Is meritò iuris dicitur eſſe Parens.*

*Latomi.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Latomi.

*Materia vincor, & tu vis ire, Viator,*
*Expediam: iacet hîc ille Maynus: abi.*

# Chriſtophorus Longolius.



CHRISTOPHORVS Longolius Mechliniæ Belgicæ ſacerdote Antiſtite genitus, & Lutetię in ſcholis frugaliter educatus, partis diſciplinarum omnium peramplis opibus, aureo Leonis principatu Romam venit: adeò diſsimulata ingenij profeſsione, vt rubro pileo, & aſtricta penula ſemi Germani militis habitum mentiretur, quippe cui mens erat auidè peregrinanti priſcæ felicitatis monumenta ſpectare, ſcrutari ingenia, bibliothecas excutere, atq; illud demum eruditæ cenſurę iudicium, quod fruſtra alibi, quam ſub Romano cęlo quæritur, certius atque liquidius adipiſci. ſed intranti gymnaſium, & acutè diſputanti, non



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

inſulſi literarum profeſſores, celeriter & comiter perſonam detraxerunt, ita, vt mox honeſtiſsimi ciues Romani Flaminius, Tomarotius, & Marius Caſtellanus alterna hoſpitij liberalitate intra penates receptum, triennio aluerint, eiq; virtutis merito Romanæ ciuitatis ius, & nomen impetrarint. Verùm aliquanto poſt, emerſit liber execrabilis maledicentiæ veneno delibutus, quem iuueni li declamatione perſcripſerat, Romani nominis antiquum decus barbaro liuore proſcindens. Infremuit Populus Romanus ea contumelia perturbatus: Celſo Mellino adoleſcente clariſsimo, generoſa oratione in Capitolio, tanquam reum Maieſtatis accuſante. Sed Longolius totius aulæ clementia præmunitus duabus orationib. publicatis ſeſe eo nomine defendens, iudiciũ Populi ſubterfugit, quòd nequaquã malignitate animi, ſed more Sophiſtarũ, exercitationis ſtudio materiæ difficilis ac inſolentis, ideoque damnatæ ſpei argumentum deſumpſiſſet, ſcilicet, vt ſodales eius temerè ſuſcepti muneris, vel infelicem audaciam mirarentur. Tranſiuit inde Patauium, his præſertim actionibus claritatẽ conſecutus: adhæſitque Petro Bembo, & mox Reginaldo Polo Britanno, in quorum hodie ſacra purpura ſummam pietatem, atq; doctrinam veneramur. In eius contubernio, cum ingentibus vigilijs libros aduerſus Lutherum diſertè, et grauiter inchoatos elaboraret, editis iam ad imitationẽ Ciceronis Epiſtolis febre conſumptus eſt. Tumulum autem, hoc carmine Bembus honeſtauit.

*Te iuuenem rapuère Deæ fatalia nentes*
*Stamina, cum ſcirent moriturum tempore nullo*
*Longoli tibi ſi canos, ſeniumque dediſſent.*

Germani Brixij.

*Caſtalides lacerate genas, diuellite crinem:*
*Nec lachrymæ finem, nec teneant gemitus.*
*Proh dolor, effertur Patauina funus in vrbe,*
*Ante ſua extincti tempora Longolij.*
*Quem modò vel Gallum voluit pro dote Latina,*
*Roma locum ciues inter habere ſuos.*
*Roma ſibi plenè mox reſtituenda, dediſſent*
*Longolio plenos, ſi modò Fata dies.*

Stephani Doleti.

*Longoli ô vtinam potuiſſet lingua docta tantùm*
*A[illegible]rapacem morte[illegible]isq; Parcas*
*Quantum olim valuit dicendo, voce dum diſerta*
*Romæ cateruas flecteret ſtupentes:*
*Viueret incolumis, nec funere concidiſſet atro,*
*Dignus perenni temporum recurſu.*
*Sed viuit, neq; morte vlla extinguetur, arce tectus*
*Famæ micantis, nominisque magni.*
*Aere perennius exegit monimentum, ad aſtra latè*
*Laus cuius ingens & loquax volauit:*
*Quod non annorum ſeries, nec flatus impotentis*
*Auſtri, nec imbres diruent edaces:*

*Sidera*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*...m, *

*...m Solis intu...*

*...ouebunt.*

*...ocul abſint næniæ ſep...i,*

*...ſundunt.*

## Claudij Roſeletti.

*Antehac noſtra cuiquam Ciceronis ineſſe*
*Eloquium, neruos, vimq́ue ſtylumq́ue negant.*
*At tua Longoli auſcultent ſine nomine, nullum*
*Iurabunt alium tam Ciceronis opus.*

## Eiuſdem.

*Antiſtes eloquentiæ, magni nepos*
*Atlantis, admiratus vt Longolium eſt*
*Artificibus fandi eſſe priſcis non modò*
*Parem, ſed & maiorem, ait, præſtantior*
*Vt plurimum diſcipulus eſt didaſcalo.*

## Latomi.

*Illa caput regni, Phœbique Lutetia nutrix,*
*Longolium ciuem dixerat eſſe ſuum.*
*Interea attollens ſimileis Mechlinia criſtas,*
*Aſſeruit titulo non grauiore ſibi.*
*Roma ſed indignans: meus eſt ſi Tullius, inquit,*
*Non hic: & aſſcripſit: non meus eſſe poteſt.*
*Proſiliens tandem titulis Sconhouia veris,*
*Dulcibus ex hortis flore reuincta caput:*
*Gaudeo quòd Batauam vel nunc amplecteris aurem,*
*Roma, ait, at partum tu mihi redde meum:*
*Septem vrbes certent de ſtirpe inſignis Homeri,*
*Quatuor eſt harum lis ſpecioſa magis.*

# Aurelius Augurellus.

NON eſt cur miremur in puſillo corpore viuaciſsimi hominis Aurelij Augurelli præaltum ingenium enituiſſe. Fit enim plerunque natura, vt innati ſpiritus vis ipſa collectior, paruæ compaginis membra aptiſsimè regat, & quod mentis eſt ad excogitandum, plenius atque validius illuſtret. Is Arimini natus, vitã in literis perdiſcendo, docendoque ad octogeſimum tertium ætatis annum feliciter extendit, Venetijsque in primis habitus eſt multò doctior, et purior, quã quiſquam alius, qui Latinas Græcasque literas priuato quodam officio, ac ob id quæſtuoſiore profiteretur. Extant eius Odæ plures, & paucæ Elegię Romana ſimplicitate decantatæ. ſed Iambico verſu à paucis hactenus proſperè tentato, viſus eſt ad antiquæ laudis metam propius acceſsiſſe. Nouiſsimè ridendus ille morbus certæ egeſtatis. & caſsi laboris comes, curioſis ingenijs familiaris, totum homunculum occupauit; metalla & ſuccos in abditis fornacibus recoquẽtem, vt ex argento viuo concretum, & ductile argentum ad cudendam monetem efficeret, & admirabilem abditarum naruræ rerum maſſam conflando, purum inde aurum crearetur. Sed ea cura inani voto ſuſcepta, nequaquam magno damno ei ceſsit, quum ingenium ab irrita ſpe ad factitanda carmina verteretur, vt fallacis, & irriſæ artis certitudinem, carminum authoritate demonſtraret, quum ipſo conſcientiæ pudore inanis artifex proderetur. Scripſit enim Chryſopœiam ad Leonem auri contemptorem, vt prodigè vtendi ad alenda ingenia, feſtosq'ue & planè regios ſumptus, inexhauſtæ opes ſine iniuria humani generis abundè ſuppeterent. Edidit etiam Geruntica, Petro Lipomano diſcipulo dicata, quem hodie Veronenſes virtutis merito, antiſtitem venerantur. Taruiſij, vbi flamen erat, quum ad forum in taberna libraria diſputaret, apoplexia correptus, ſubitò interijt. Depicta tumulo effigies, cui hoc ipſe carmẽ ſubſcripſerat.

*Aurelij Augurelli imago eſt, quam vides,*
*Vni vacantis literarum ſerio*
*Studio & iocoſo, diſpari cura tamen:*
*Hoc, vt vegetior ſic fieret ad ſeria:*
*Illo, vt iocoſis vteretur firmior*

## Latomi.

*Iocum vetuſtum refricans Aurelius,*
*Dum ſperat aurum, luditur carbonibus:*
*Adhuc Leoni auri prodigo,*
*Iam certus artis, nempe Chryſopeiam:*
*Vt quod minus collegit è carbonibus,*
*Auidi Leonis eriperet è dentibus.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Guido Poſthumus.

GVIDO Poſthumus Piſaurenſis, lepido & comi, argutoque ingenio poeta, quum Elegias, & varijs numeris carmina factitaret, in aula Leonis conſpicuus fuit. Patebat enim ea liberaliter, meridianis præſertim horis quum citharœdi ceſſarent, his omnibus eruditæ ſuauitatis oblectamenta ad ciendam hilaritatem intuliſſent. Sed benigna principis manu ſæpe donatum & non inſulsè ad honores aſpirantem, regius inuaſit morbus, ex moribunda patriæ ſede proculdubio conceptus. Medici ſuaſerunt, vt Capranicum ſecederet Sutrini agri vicum, aeris ſalubritate ac indulgentia Herculis Ragoni Cardinalis, cuius opibus familiariter vtebatur, eò deuectus eſt. Verùm non multò pòſt exuſto lenta febre toto viſcere, vel adhuc iuuenis, vim morbi fatique ſuſtinere non potuit. In ęde diui Franciſci tumulatum poetæ ſodales his carminibus proſecuti ſunt.

Tibaldei.

*Poſthumus hìc ſitus eſt, nè dictum hoc nomine credas*
*In lucem extincto quòd patre prodierit.*
*Mortales neque enim talem genuère parentes,*
*Calliopeia fuit mater, Apollo pater.*

Iani Vitalis.

*Quærite nunc alium Muſæ, quem ſemper ametis:*
*Qui vos ſemper amet, Poſthumus occubuit.*

Latomi.

*Me Iouis & Veneris fauſto ſub ſidere natum,*
*Phœbus adoptauit, nomen & impoſuit.*
*Vnde (nec eſt alia factum ratione) ſciatis*
*Me poſt defoſſum viuere corpus humo.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Nicolaus Leonicenus.



NEMO profitentium Medicorum, Nicolao Leoniceno Vicentino vera ſalutaris ſcientiæ dogmata purius atque nitidius explicauit. Nemo errores Sophiſtarum importuna garrulitate cuncta fœdantium eloquentius atque validius confutauit. Nemo eo demum ad illuſtrem certioris peritiæ fidem longius atque ſalubrius vitam produxit. Primus enim Græca Galeni volumina Latinè interpretando ſtudioſis perdiſcenda demonſtrauit, imperitorum latratibus, publicatis ſumma eloquentia commentarijs occurrerat, vtpote qui ab ineunte ætate optimis literis deditus, ingentes opes capacis & maximè conſtantis ingenij, ad illuſtrandam medicinam contuliſſet. Cibi enim & vini maximè abſtinens, ſomnique minimi, præſertim verò Veneris continentiſsimus, vſq; adeò mollioris vitę voluptates abdicauit, vt pecunias, luxurię inſtrumēta, nec agnita

quidem

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

quidem monetæ nota contemneret. oblatum, & nulla delectum cura cibum caperet: nec vnquam de fortuna quereretur, quod vnam vir acutus ſtudiorum laudem reſpiceret, nec opportuna mediocris vitæ ſubſidia, benignitate Ferrarienſium principum Herculis, Alfonſique filij, ſibi defutura proſpiceret. Eum hercle perfectum Stoicum putaſſes, niſi honeſto ori liberalis hilaritas affuiſſet. Edidit eruditum & perelegantem librum, qui Romanus medicus Antiſophiſta inſcribitur, quum ante de Ordine trium doctrinarum, & de Virtute formatiua perutiles libellos publicaſſet. Dionis quoque Hiſtoria, & Luciani Dialogi, vernacula loquentes lingua, Herculi Latinarum literarum imperito mirè placuerunt. Peruenit ad nonageſimum annum integerrimis ſenſibus, vegetáque memoria, nec in curua quidem ceruice, quum eſſet ſtaturæ celſioris & ſine ſcipione venerabilis. Quum ego aliquando comiter ab eo peterem, vt ingenuè proferret, quo nam arcano artis vteretur, vt tanto corporis atque animi vigore vitia ſenectutis eluderet: Viuidum, inquit, ingenium perpetua, Ioui, vitæ innocentia, ſalubre verò corpus hilari frugalitatis præſidio facilè tuemur. Tumulus eius in atrio ædis.

Myrtei.

*Cui neque ſat fuit, & terras euoluere, & vndas,*
*Quæque arcana tenent flumina, terra, mare:*
*Dum rerum cauſas latè veſtigat, & ægra*
*Morborum reuocat corpora colluuie:*
*Nunc Leonicenus tegitur paruo aggere terræ:*
*Cuius vtramque volat fama per Heſperiam.*

**Latomi.**

*Quod te cæleſtem tueretur ducere vitam*
*(Sic fore de Parcis ſciuerat ante ſuis)*
*Fecit vt excideret morti, tua rumpere fata,*
*Nec te decrepitum cerneret eſſe ſenem.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Petrus Pomponatius.



PETRVS Pomponatius Mantuanus, in philoſophia præceptor meus, inter Peripateticos illuſtres primum ſuggeſtus locũ obtinuit. Enarrabat enim Ariſtotelem ſimul ac Auerroem ſuaui & præclara voce, elocutione autem emendata & leni quum proponeret, volubili & concitata quum infringeret, porrò quũ diffiniret, atque decerneret, adeò graui ſedataque, vt auditores in ſubſellijs ſcriptitando explicatas ſententias notis exciperent. At in coronis conſeſſuque doctorum, quum exercitatione perutili ad prętoriam porticũ diſputaretur, ita mirus euadebat, vt ſæpe ancipiti & cornuto Achillini enthymemate circumuentus, ſuperfuſo facetiarum ſale, aduerſarij impetum ex illis gyris & mæandris explicatus eluderet. Erat puſilla admodum, ſed quadrata corporis ſtatura, capite nulla ex parte enormi vel inſulſo, vtpote oculis ad omnes animi habitus aptiſſimè

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſimè paratis & intentis. Exorto bello Veneto, poſt Achillini mortē Bononiæ profeſſus eſt, vbi cucullatos ſacerdotes contra ſe in caput, & nominis famam vehementiſsimè concitauit, edito ſcilicet volumine, quo animas poſt corporis mortem interituras ex ſententia Ariſtotelis probare nitebatur, ſecutus Aphrodiſei placita: cuius dogmate ad corrumpendam iuuentutem, diſſoluendamque Chriſtianę vitæ diſciplinam, nihil peſtilentius induci potuit. Scripſit etiam de Fato, & de incantionum occulta poteſtate. Sexageſimo autem tertio ætatis anno, ſtranguria oborta Bononiæ fato functus eſt: relatusque inde Mantuam, nobile ſepulchrum Herculis Gonzagæ Cardinalis, erga ciuem & magiſtrum liberali pietate promeruit.

Iani Vitalis.

*En animarum ingens globus, en legio omniuagantum*
*Quas tu perpetua luce carere negas.*
*Mortuus, vt diſcas æternam has viuere vitam,*
*Ad cineres vlulant Pomponiate tuos.*

Latomi.

*Cur, quis hic iaceam, referre cogor,*
*Et cauſæ iugulo meæ admonere*
*Hunc enſem, vt modò mortuus, cinisque*
*Si tecum fuero locutus, atri*
*Conuincar placiti, reusque fiam?*
*Sed ſunt ij rabidi & mali poetæ:*
*Qui quum plurima mentiantur ipſi,*
*Me verum prohibent tacere: nam ſum*
*Pomponatius ille, qui profeſſus*
*Maneis eſſe nihil, ſed interire*
*Quicquid eſt hominis, patique Fatum:*
*Nunc contrà experior: tacere proindè*
*Mallem, ſed rabidi vetant poetæ.*

# Andreas Maro.

VLLIS omnino certioribus lineis, nulloque exactiore penicillo Andreæ Maronis ingenium depinxerim, quàm ſi eiſdem vtar coloribus, quibus illud, dum ille viueret, diligenter expreſsimus in Dialogo noſtro, quem in Ænaria inſula, dum vrbs Roma à Cæſarianis, capto pontifice vaſtaretur, perſcripſimus. Interrogante enim Daualo, his fermè verbis reſpondi, cùm de viris & fœminis ætate noſtra florentibus iucundiſsimo cenſuræ ordine diſputaretur, & non temerè in mentionem Andreæ Maronis incidiſſemus. Is erat Brixianus, quanquam dimidiam patriam ab Euganeis, Foroque Iulio repeteret. Cupiebat enim Dux generoſus cultorque Muſarum, poetam inuſitata virtute prędītum, è funeſta clade Vrbis eripere: quod ex me, illum ter captum cruciatumque diu, ac omnibus fortunis expoliatum, miſerabili ridendoque fameſcentis baiuli habitu, in Vrbe plena funeribus mendicare didiciſſet. Non eſt, inquam, Dauale, cur tantopere Etruſcos vates ad expeditæ facundiæ laudem, arguta

cithara perſonantes admiremur: in eam enim peramœnæ voluptatis conſuetudinem, mos patrius illos adduxit, quòd faciles ad veniam aures dicere audentibus plurimum indulgeant, ita vt nec eos, vel leui ſibilo notandos putent, qui hæſitando, amiſſa celeritatis laude, vel in diſſona, vel in diſpari ſyllaba peccauerint. Verè ſiquidem admirari, & plaudentis clamorem attollere iuuat, ſi nouum Maronem audiamus. Is enim cum ſumma eruditorum admiratione ex tempore ad quam iuſſeris quæſtionem, Latinos verſus varijs modis et numeris fundere conſueuit. Audax profectò negotium, ac munus impudentiæ vel temeritatis plenum, niſi id à natura impetu propè diuino, mira felicitas ſequeretur. Fidibus & cantu Muſas euocat, et quum ſemel coniectam in numeros mentem alacriore ſpiritu inflauerit, tanta vi in torrentis morem citatus fertur, vt fortuita, & ſubitarijs tractibus ducta, multum antè prouiſarum & meditata carmina videantur. Canenti defixi exardent oculi, ſudores manant, frontis venæ contumeſcunt, & quod mirum eſt, eruditæ aures tanquam alienæ & intentæ, omnem impetum profluentium numerorum exactiſsima ratione moderantur. Exceptus eſt ſecundiſsimo plauſu, ac idcirco à Leone repræſentatę facultatis nomine ſacerdotio donatus, quum poſt celebre conuiuium, cui Regum legati ſenatoresque aderãt, de ſuſcipiendo ſacro bello dicere iuſſus, iucunda figurarum varietate decantauit, orſus hoc nobili carmine:

*Infelix Europa, diu quaſſata tumultu*
*Bellorum,—*

Tum enim Selymus Turcarum Imperator Campſone & Tomumbeio vltimis Ægypti regibus vna atque altera acie deuictis ac interfectis, magnum Europæ inteſtino bello deflagranti terrorem intulerat. Perijt amiſsis poematibus infelix Maro in vili caupona ad Scropham lapideam campi Martij ab omnibus deſertus, quinquageſimo tertio ætatis anno, quum è Tybure, quò perfugerat, vagantibus etiam ibi Barbaris, in peſtilentẽ Vrbem vrgente Fato rediјſſet.

Myrtei.

*Poſtquam ſecundum publica abſtulit clades,*
*Maronem & vrna caruit infelix, campis*
*Quæſitus Elyſijs, nec inuentus Muſis:*
*Phœbus furoris nam miniſter illius,*
*Quo carmen edere inclytum Maro fuerat,*
*Inter Sibyllas rapuit, æternùm vt viuat.*

Latomi.

*Quòd ſpectanda data eſt, non Muſa fruenda Maronis*
*Phœbe tua eſt leuitas gloria quanta fuit.*
*Non volo Vergilij, qui vel meditata dolebat*
*Carmina, maturæ non ſatis eſſe moræ:*
*Eius at Andreæ, ſolo quo Brixia alumno*
*Nil facere eſt cunas auſa Catulle tuas,*
*Cui fuit in ſubitos tam promptum ex tempore verſus*
*Ingenium, vt quicquid pangere iuſſus erat,*

*Aptaret*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Aptaret numeris variataq́ verba ligaret,*
*Qualia vix longi temporis eſſe putes.*
*At periêre breuis breuibus cum verſibus Author:*
*Deme quod æterno viuit in ingenio.*

# Andreas Matthæus Aquavivius.

NEMO ex his qui illuſtribus orti familijs ætate noſtra claruerunt, cum peculiari bellica laude ducerentur, Andrea Matthæo Aquauiuio ad Præcutinos Hadrianorum regulo, ſe luculentius optimis diſciplinis exornavit, vti præclarè conſtat ex eo libro nobili pariter ac erudito, qui Encyclopædia inſcribitur, & de Morali virtute Plutarchi plenior liber, ſubtili & copioſo commentario perſimilis oſtendit. Hic heros antiquæ virtutis, vti caſus tulit, bis bello prælioque adverſo, & vulneribus honeſtiſsimè ſuſceptis captus, forti animo tetri carceris calamitatem, ſtudiorum ſolatio ita lenivit, vt ad eam exculti ingenij frugem, quæ ab impotenti fortuna eripi non poteſt, generoſa meditatione pervenerit. Sed cùm eum victor Conſalvus cum reliquis captivis in triumpho ducendum in Hiſpaniam mitteret, Rex Ferdinandus prudentiæ & lenitatis nommine maximè clarus, libertati, priſtinæque fortunæ reſtituit. Tanto itaque vſus beneficio, per viginti quatuor annos egit iocundo in otio vitam dicatã Muſis, adeò ſplendide & vigilanter, vt ad idem literarum honeſtiſſimum decus Belliſarium fratrem Neretinorum regulum æmulanter invitaret, quem de Venatione, & de ſingularis certaminis provocatione ſcripſiſſe videmus. Cæterùm vir tantus, quum Neapolitanos proceres, candore, innocentia & liberalitate facilè ſuperaret, viſus eſt parum accuratus & diligens in tuenda rei familiaris dignitate, quum in vltimo vitę actu præaltus animus contemptor opum iuſtitutæ liberalitatis nervos inconditis ſumptibus incidiſſet. Fato functus eſt ad Converſanũ Bario finitimum, ſeptvageſimo ſecundo ætatis anno, quum Lotrechij Galli infelicibus armis Apulia quateretur.

### Actij Synceri.

*Cernis vt exultet patrijs Aquiviuus in armis,*
*Duraq́ ſpumanti frena relaxet equo.*
*Quis miteis illum Permeſſi hauſiſſe liquores*
*Credat, & imbelles excoluiſſe lyras?*
*Conſurgunt niveæ fulgenti in caſside criſtæ:*
*At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.*
*Macte animo rigidum Muſas qui ſtringere ferrum,*
*Qui Martem doctos cogis amare choros,*
*Hæc ducis eſt virtus, non vni inſiſtere palmæ,*
*Sed nomen factis quærere & ingenijs.*

### Eiuſdem.

*Mœſta Bitundinæ duxerunt otia Nymphæ,*
*Nec Faunis ſo..os exhibuere choros,*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Scilicet optato quicquid ſine principe cernunt,*
*Ingratum eſt, tantus principis vrget amor.*
*Nec ſatis eſt poſitis arcum ſpreuiſſe ſagittis,*
*Queſtubus & totos continuaſſe dies.*
*Aſt etiam noſtris faciunt conuitia terris,*
*Et nos Sirenas, Lotophagosq́ vocant.*
*Vera loquor Diuæ veniam date vera loquenti:*
*Non amor hic certè, ſed magis inuidia eſt.*

Marcelli Palonij Romani.

*Non minus æternũ ex Aquiuiuo habet Hadria nomen*
*Nobilis immenſo quàm dedit ipſa mari.*
*Adde, freto ſuus eſt ſupero quòd terminus: illi*
*Nec limes tellus vlla, nec vnda datur.*
*Nam Muſis vbi honos, Martiq́ togæq́ manebit,*
*Et lucebit vbi Sol, Aquiuiuus erit.*

Latomi.

*Dum grauis incumbit ſæuos Aquiuiuus in hoſteis,*
*Vincendiq́ aperit dextra animoq́ viam:*
*Contigit interea luſtrantem caſtra Gradiuum,*
*Arma vbi penderent, non ſua, ferre pedem:*
*Soluit, pertentat: vocis modulamine captus,*
*Perſtitit inuitam ſollicitare chelyn.*
*At veritus Dominum mox hoſtibus adfore fuſis:*
*Ille quidem vincat, ſed capiatur, ait.*
*Quid veſane tibi pro talibus imprecer auſis,*
*Ni citharam vt quantum claſſica ſemper ames?*

# Petrus Gravina.

NATVS eſt Petrus Grauina Catinæ in Sicilia, ſed ipſe primam domus originem à Capua repetebat. Natura ei admodum indulgenter, præter excellentis ingenij vim, ſummam etiam procero corpori, & venuſto tribuit dignitatem, firmitate inprimis & agilitate quadam ſingulari, quum iu ludo pilæ vſque ad admirationem, & gladiatoria arte, equeſtribusque armis ad militarem laudem exerceretur, nataretque ſæpiſſimè ad incredibilem vrinandi patientiam. quibus agitationibus ita firmauit corpus, vt nulla paulò ſeueriore tentatus valetudine, ad extremam propè ſenectutem, integro & planè iuuenili vigore peruenerit. Vtebatur parciore menſa, ſed ea ſemper nitida. Vinum à Veſeuo Surrentoque in honore erat, ſed ſemper ſobriè & moderatè perpotanti. Vitæ genus adamauit quietum, cunctis ſolutum curis & litibus, hilarique inprimis & tenera ſtudioſorum adoleſcentium familiaritate gaudebat. ingenio enim erat aperto, liberali, perblando, cultu corporis nitido & ſumptuoſo, quum vndulata toga vteretur, & ſerico latiore villoſo pileo argenteam comam moroſe perornaret. Quum in Aragonia aula verſaretur, emanarentq́; ab eo verſiculi ex nobili

ſemper

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſemper occaſione, argutè lepideque perſcripti, Pontano charus eſſe cœpit, qui erat ingeniorum cenſor longè grauiſſimus: idque diuinis operibus ad immortalem amici laudem benignè teſtatus eſt. Spectatæ demum eius virtuti externus Mecœnas adfulſit Magnus Conſaluus, qui ipſius victorias & trophæa Gallica heroico celebrantem, in templo maximo Neapoli ſacerdotij honore nobilitauit. Sed Conſaluo in Hiſpaniam abducto, quòd Regi in ſuſpicionem affectati regni veniſſet, Proſpero Columnæ adhæſit. In pangendis Elegis, tenero quodam lepore ſibi genium reſpondere fatebatur: ſed in ſcribendo Epigrammate vni ei haud dubie palmam tribuebat Actius Syncerus, qui & parcus, & amarulentus in alieni operis cenſura laudator eſſe conſueuiſſet. Heroica poemata periiſſe tum ferunt, niſi iam pridem à nobis lectitata compareant, quum Cæſariani à Gallis Neapoli obſeſſi, tanquam non in ſocia vrbe, diuina ac humana omnia conturbarent: ita vt non miretur quiſpiam tam paucis quæ extant ingenij monimentis præclari poetæ famam conſtitiſſe: nam & multa ipſe lugentibus amicis ſponte deleuit veluti ſtrepentibus armis ſeculum indignatus, aut iratus Muſis, quòd externi duces conceptæ ſpei minus liberaliter arriſiſſent. Sed diſpari iudicij ſorte id poema propè amiſſum querulus lugebat, quo Surrentini otij delitias elegantiſſimè depinxerat. Sed Scipionis Capycij pietas, dignum egregio nobilique poeta, colligendi diſperſa & publicandi officium præſtitit, vt penè intercepta amico poetæ vita redderetur. Non carebat quoque compoſiti Oratoris nomine, quanquam dum publicè oraret, vna actionis laude contentus eſſe videretur. Deceſſit ſeptuageſimo quarto ætatis anno ad Concham oppidũ Sidicini agri, quum ei in vmbra meridianti, caſtaneæ echinus tibiæ ſuram leuiſſimè pupugiſſet: temerè enim ſcalpendo enatum eſt vlcus, accerſita lethali febricula: adeò enim ſubtiles mortis cauſas Fata inueniunt, quum ex decreto vrgent.

Iani Vitalis.

*Hanc tibi pro tumuli Ianus Vitalis honore,*
*Rimoſam laurum magne Grauina dicat.*
*Hic vbi odorata manes requieſcere in vmbra*
*Floribus in medijs, & iuuet eſſe tuos:*
*Illa Notis quoties rami quatientur, & Euris:*
*Perſtrepet in laudes ſancte poeta tuas.*

Latomi.

*Cuius hîc tumulum vides, Viator,*
*Vatis eximij, Petri Grauinæ,*
*Tu fortaſſe putas obiſſe totum,*
*Et vel eſſe nihil, vel iſſe ad vmbras:*
*Erras: non obijt, ſed vſque viuit.*
*Non quum quæ cecinit, vel eſt locutus,*
*Vel miſit teneræ preces puellæ,*
*Vel ſcripſit lepidos iocos amicis,*
*Quæq; illa ingenij fuêre multa,*
*Nunc audis, legis, excipis, tenêsque:*
*Illum viuere quo negas colore?*
*Viuit: teq; magis ſupine caudex,*
*Cuius poſt cineres nihil manebit.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Pomponius Gauricus.



ARGIVÆ Iunonis Fanum, quod eſt Picentinorum nobile oppidum, geminos fratres Gauricos præſtanti ingenio protulit: Lucam ipſum, quem aſtrologiæ peritiſſimum, feliciqúe ſæpe euentu futura prędicentem in aula Pauli III. Pontificis admiramur: & Pomponium non incelebrem poetam, validaqúe in varias artes ardentis ingenij fœcunditate mirabilem, niſi inſtabili ingenio abductus, dum feruid transcurrit, & ſectatur operum nouitatem, in cunctis nuſquam accuratus & diligens firmæ prudentiæ dignitatem amiſiſſet. Is Græcorum poetarum vitas, Petri Criniti æmulatione, qui de Latinis librum ediderat, Latinè perſcripſit, atque item geminos de phyſiognomia & de architectura libellos. Extat & eius volumen de Metallicis curioſorum inſanæ turbæ gratiſſimum. Neq, enim deſunt, qui aurum pariter & argentum, ex ignobili materia, inanibus

recoctio-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

recoctionum artificijs procreari, atque exprimi poſſe arbitrentur. Exierunt etiam in publicum Epigrammata aliquot & Elegiæ, non dubia amatoriæ vanitatis indicia: nam illuſtrem fœminam arſiſſe conſtat, enudaſſeque animi ęgritudinem procaci Muſarum lenocinio adeò incautè & flagranter, vt quum Surrentina via Stabias peteret, in eoque itinere ab obuijs ſalutatus fuiſſet, nuſquam demum apparuerit, fruſtra eum Luca fratre per ſexdecim annos expectante, quum proculdubio ab ea ſuſpicione trucidatus, & cum ſeruis & iumentis, ne vllum cædis veſtigium extaret, in ſubiectum mare præcipitatus exiſtimetur.

Myrtei.

*Ibat Gauricus ad ſuos amores,*
*Sed diu haud potuit ſuos amores*
*Vti Gauricus. abſtulêre fata.*
*Verùm nulla manet ſepulchri imago.*
*Namq; (quod coluit pari labore*
*Muſas & Venerem) vel à Camœnis*
*Raptus creditur inter alta montis,*
*Qui iacet Stabias ſuper vetuſtas:*
*Vel pulchræ Veneri datus ſacerdos*
*Tyrrheni maris in ſinum profundum.*

Latomi.

*Mortalitatis vt neget poſt aleam*
*Nemo poetas viuere:*
*Nullum ſuperſit vt rogi veſtigium,*
*Muſæ tulêre Gauricum.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Marcus Antonius Caſanoua.



MARCO Antonio Caſanouæ, Comenſe patre Romæ genito, arguti Epigrammatis palmam detulit illa ipſa Roma, ſeueræ auris iudicio ſuperba: nec unquã in confeſſo pudore poetis adulatrix: quòd lepida, & ſalſis finibus aculeata carmina factitaret. Elocutioni caſta tamen puritas, ac in numero ſæpe duro lenitas defuit: qualis in Catullo prætenero poeta conſpicitur, quum ingenioſe mordaci, & impuro Martiali perſimilis eſſe mallet, & vna præſertim peracutæ circunductæque ſententiæ gloria duceretur. Sed miſcuiſſe vtrumque genus tum iuuit, quum paucorum verſuum ſpectanda poſteris Elogia priſcis Romanæ virtutis heroibus, tanquam manentibus eorum ſtatuis inſcripſiſſet. Nemo autem eo ſimplicitate, ac innocentia vitæ melior: nemo vrbana comitate iucundiòr exiſtimari potuit: niſi Columniæ familiæ alumnus in gratiam Pompeij Cardinalis, Clementis

mentis

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

mentis pontificis famam intemperantiſsime laceraſſet. Sed Clemens ſeipſo, & toto denique deſumpto nomine maior & auguſtior, reo maieſtatis, captoque ad ſupplicium facile pepercit, præclara C. Cæſaris imitatione, qui Catulliani dentis æternum virus, & liuidam libertatem generoſa diſsimulatione contempſerat. Perijt peſtilenti corruptus morbo, quo cladē Vrbis fortuna nec innumeris ſaturata funeribus adcumularat, quum obſeſſo captoque pontifice, Pompeius ipſo diuerſo ingenij habitu inimici calamitate lætaretur, & ruentis patriæ caſum inani pœnitentia deploraret. Tumulatus eſt iuxta naumachiam campi Martij Laurentiano in templo: quod olim Lucinæ dicatum fuerat, & Bloſius Palladius ſodalis, quod funeris honore caruiſſet, hoc pie inſcripto carmine tumulum ſpectantium oculis ad lachrymas indicauit:

*Comenſis Caſanoua, dum priores*
*Et Duces canit, & canit poetas*
*Præcurtis Epigrammatis: perennem*
*Ac longam ſibi gloriam parauit.*

Latomi.

*Si dare vitam*
*Qualiacunque*
*(Quod docuiſti)*
*Carmina poſſunt:*
*Longa neceſſe*
*Carmina, vates*
*Maxime, non eſt*
*Ad tibi longam*
*Condere vitam.*

# Balthaſar Caſtellio.

HIC eſt ille Balthaſar Caſtellio Mantuæ natus, ingenij laude Maroni ciui ſuo plane ſecundus, qui ad exactam principalis aulæ normam, militari ciuilique munere virum elegantem inſtituit: parique diſciplina illuſtrem fœminam, deſcriptis lectiſſimorum morum finibus effingit. quo opere iucundiſsimo Græcæ, Latinæque facultatis peramœnos flores decerpſiſſe videtur: vt in vnum volumen nobilioris vitæ præcepta, oblectamentaque honeſtiſsimi ocij conferrentur. placere ſiquidem magnæ Fortunæ viris, vt ſæpe literarum expertibus, ipſiſque præſertim fœminis magnopere cupiebat: ob idque maluit vernacula quam Latina lingua ſtylum Etruſca molliorem exercuiſſe: ſcilicet, vt imperiti ex antiquis arguta manu ſurrepta, translataque ſcitiſsime, non agnoſcentes, ea omnia tanquam noua mirarentur. Scripſit & Latinas Elegias, & grandi Heroico Cleopatram, ſed paucis admodum Etruſcis rhythmis, quum amatorij doloris finem ſuperba comparatione deſperaret, nobilis poetæ famam tuliſſe iudicatur. In ſago autē togaq; pariter habili ingenio, & generoſo quidem ore, pacis belliq;



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

muneribus interfuit, obiuitque ſubitarias legationes ad Reges, atque Pontifi-ces, quum momenta grauiſſimarum rerum, non modò pręſtantis animi fidem, ſed expediti corporis diligentiam, celeritatemque requirerent. Nouiſſimè an,nis prouectum, ſed medicamentis occultata canitie,& multis cultus munditijs-iuuentæ decus affectantem, quum eruditæ artes in eo vigerent, Clemens ad Ca,rolum Quintum in Hiſpaniam miſit: ei, non dubio honore purpuræ deſtinato, niſi Fortuna Romanæ vrbi immane excidium ſtruens, vtriuſque vota feſelliſ-ſet. Corruit enim mox Roma, Cæſarianorum ducum ſimulatis inducijs prodi-ta: viderique potuit Caſtellio in ea re non ſatis diligentem, aut certè parum fe-licem operam præſtitiſſe, quum delatum ſibi in ea lugubri clade epiſcopatum Abulenſem, munere Cæſaris accepiſſet. Verùm ea dignitate diu perfrui, vel v-beriorem expectare non licuit. Sublatus eſt enim occulta febre, quum vix quin quageſimum ſextum attigiſſet annum, ad Mantuam in Carpentanis. Funeri e-ius aulæ proceres officium præſtitère: nec eum chiromantes ariolus feſellit, qui ex dextræ volæ lineis, eum dignitate au ctum Mantuæ, ſed nequaquam in Hiſpania moriturum prædixerat.

### Iani Vitalis.

*Caſtalioneum ad tumulum dum Hiſpania tota*
*Conuenit, & ſancto iuſta parat cineri:*
*Scipiadum Manes referunt dixiſſe, ſecundum*
*Hic docta amiſit Mantua Virgilium.*

### Marci Antonij Flaminij.

*Si truculenta ferox irrumpis in agmina, Marte*
*Diceris inuicto Caſtalione ſatus:*
*At molli cithara ſi condis amabile carmen,*
*Caſtalia natus diceris eſſe Dea.*

### Eiuſdem.

*Horrida terribilis cum tractas arma, Maronis*
*Caſtalione tui carmine digna facis:*
*Idem cum molli vacuus requieſcis in vmbra*
*Caſtaliæ, æterno digna Marone canis*

### Latomi.

*Qui iacet hoc tumulo, magnorum munia Diuûm*
*Immo bis impleuit, ſuſtinuitq́ trium.*
*Mars dextra, calamo Phœbus, Cyllenius arte,*
*Ore Charis, Pallas mente, lepôre Venus.*
*Sed quas exercuit hoc ſcilicet ordine doteis,*
*Semper vt in lætam deſineret Venerem:*
*Quæ quum ſit Phœbi: nec vt olim, Martis amica,*
*Vel regat hic mundum, vel magis ipſa Venus.*

ANDREAS

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Andreas Naugerius.

ANDREAS Naugerius patritij ordinis, Sabellico Venetijs profitente, Latinas literas, Græcas autem à Marco Muſuro Cretenſe Patauij hauſit: ſed in Latinis delectu ac obſeruatione præceptore diligentior, illum, quem ſuperior ætas inſalubri atque aſpera ſtyli nouitate delectata contempſerat, candorem antiquæ puritatis aſſecutus eſt: vt funeribus Liuiani ducis & Principis Lauredani laudationibus apparet. Propoſito quidem Cicerone ad imitandum, quem Politianus, & Hermolaus faſtidiſſe videbantur, vtpote qui omnis eruditionis exundante copia inſtructi, aliquid in ſtylo proprium, quod peculiarem ex certa nota mentis effigiem referret, ex naturæ genio effinxiſſe nobilius putarint, quàm ſeruili imitatione enata ad nouam frugem ingenia diſtorſiſſe. Magno tum quidem probro erat doctis, ridendis pares ſimijs videri. Eodem quoque præſtanti iudicio, quum Epigrammata lepidiſſimè ſcriberet, non ſalſis aculeatiſque finibus, ſed tenera illa, & prædulci priſca ſuauitate claudebat, adeò Martiali ſeuerus hoſtis, vt quotannis ſtato die Muſis dicato, multa eius volumina tanquam impura cum execratione Vulcano dicarentur. Nec minore felicitate Etruſcos numeros attigit: ſed in Liuiani contubernio caſtra ſecutus, ſtudiorum diligentiam remiſit, & ſalubri quidem remedio, quum ingenium bilis atra, veterum lucubrationum vigilijs accerſita, haud leuiter afflixiſſet. Propterea ſcribendæ Venetæ hiſtoriæ munus à Senatu demandatum, acceptoque liberali ſtipendio, ſuſceptum præſtare non potuit: quanquam non deſint, qui eum in ipſo ſtatim limine feliciter exordientem, religioſi operis grauitate deterritum exiſtiment, quum infinita curioſitate, ſummoque labore, & pertinaci memoria tantarum rerum notitia paranda videretur. Verùm in ea cogitatione, vt Reipublicæ operam præſtaret, à Senatu ad Carolum Cæſarem in Hiſpaniam miſſus, infauſtam legationem ſuſcepit, quum in id tempus incidiſſet, quo Italiæ Principes ſeruitutis metu ad arma conſternati, affectanti dominatum Italiæ Cæſari reſtitiſſent. Secunda autē ſuſcepta legatione, quum exitiali feſtinatione, mutatis ad celeritatem iumentis in Galliā percurriſſet, vix dum ſalutato rege, Bleſio in oppido ad Ligerim febre correptus interijt quadrageſimo ſeptimo ætatis anno, omnique tum funeris honore Rex Muſarum amiciſſimus, nec ſine luctu proſequutus eſt.

Marci Antonij Flaminij.

*Naugeri, ne quis tibi certet, néue laboret*
*Incaſſum, laudes æquiparare tuas.*
*Siue epigrammata facis iuncto pede, ſiue ſoluto*
*Defles magnanimûm funera acerba virûm.*

Eiuſdem.

*Quot bruma creat albicans pruinas,*
*Quot tellus Zephyro ſoluta flores,*
*Quot ſpicæ Libycis calent in agris,*
*Quot vindemia porrigit racemos,*
*Quot vaſtis mare fluctuat procellis,*
*Cum naſcens pluuias reportat Hœdus,*
*Quot Ceraunia frondibus teguntur,*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Quot cœlum facibus micat ſerenum,*
*Quot ſunt millia multa baſiorum.*
*Quæ ſibi dari poſtulat Catullus,*
*Quòtque ſunt atomi Lucretianæ,*
*Tot menſes, bone Naugeri, tot annos*
*Viuent aureoli tui libelli.*

## Baſilij Zanchij.

*Naugeri, tibi Nereides ſtatuêre ſepulchrum*
*Æquoris Adriaci quà leuis vnda ſilet.*
*Quà ſolitæ in numerum, numeros dum pectine ducis,*
*Concinere, & virides ducere ſæpe choros.*
*Et Doris tumulo conchas, & lucida texit*
*Coralia, & placidis marmora lambit aquis.*
*Ipſe etiam circum affuſis pater Adria lymphis*
*Ingemit, & mœſtum littora murmur habent.*
*Parua loquor: te te amiſſo dolet Itala virtus,*
*Mœret & infractis Faunus arundinibus.*

## Latomi

*Dum lego, Naugeri, luſus, & ruris amores,*
*Et mittis Dominæ munera quanta tuæ.*
*Quàm bene te niuei pecoris, pecoriſque magiſtræ,*
*Et cannæ, & vitis ruſtica cura decet.*
*Idem quum video regum centum ora trahentem,*
*Verba graui ſerie dum Periclæa tonas,*
*Non poſſum ſtudium non hoc damnare, vel illud:*
*Area nam non eſt illa, vel illa tua.*

IOAN.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ioannes Marius Catanæus.



IOANNES Marius Catanæus Nouarienſis, Merulæ, Demetrijque diſcipulus, quum iuſtas ex vtraque lingua facultates cõparaſſet, C. Plinij Cæcilij Secundi Epiſtolas, erudito commentario interpretatus eſt: collectaq; inde non mediocris eruditionis fama Romam ſe contulit, in domóque Bendinelli Sauli Cardinalis, cui ab epiſtolis operam præſtabat, tres Luciani Dialogos diuerſi characteris in Latinum vertit: prætenero ſcilicet, amores, vel parum pudicos: iucundo, Lapithas: graui verò, illum de Legibus conſcribendæ Hiſtoriæ tanquam in vſum ſuſcepti à me eius muneris, Iouio nomini dicatum, ex cenſura quidem Scipionis Cateromachi, quum ille in Academiam nomen daret, magnopere laudatos. Deſcripſit demum carmine Genuam in heri gratiam, atque inde poeſis amore iam planè ſenex correptus eſt: ſera & pa-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

rum ideo felici libidine, quum Muſas nunquam tentatis numeris in iumenta laceſſiſſet. Itaque Gotifredi Bolionis ſacrum bellum ſub titulo Solymidos, quo potuit ore decantatum eſt: in quo poemate non moroſus, & æquus lector, argumenti pietatem, & quędam ſchemata iucundę novitatis admirabitur, ſi carmina, tanquam ſalebroſa, & diſtortis numeris luxata probare noluerit. Id opus author, quum alieni ingenij iudicium ſubiturus, ad Bembum, me præſente detuliſſet, lecto ſtatim titulo, Bembus hilari comitate, Nunquam Catanæe putaſſem, inquit, te alioqui virum de vtraque lingua optime meritum, hac ipſa qua nos gaudemus carminum facultate valuiſſe, quum nihil omnino, ad quod Muſæ dulces arrideant in ſevero & militari vultu tuo prorſus emineat. Quo verbo ille perſtrictus, argute reſpondit: Ergo nec tu Bembe ſatis peritus Phyſiognomus videri potes, quum te Philomuſi poetæ gratia tua florentis, à dedolatis ruditer maxillis, & repando naſo, enormis vultus omnino deceperit: quo reſponſo omnibus exortus eſt plenior cachinnus: quod Phylomuſus poeta, vtique non inſvavis, & lyriſtes Bembo ſodalis, è patria Piſauro veſpillonis ſenis buxeam faciem referret. Nondum autem perfecto poemate rediit ad pedeſtrem orationem, non obſcure ipſa ſpe conceptæ laudis deſtitutus: perſcripſitq; duos exactæ eruditionis dialogos de poteſtate & curſu Solis ac Lunæ: & de ludis Romanis: ſed ingruente fatali morbo abſolvi neqviverunt. Perijt in Vrbe quum abeſſet Clemens, Carolo Cæſari Romani imperij inſignia Bononiæ traditurus, adeo celata morte, quod ita impetrandis ſacerdotijs ex mora caveretur, vt ſepulchri & funeris honore caruerit, quum ab Academicis ad Vetulonias aquas ſeceſſiſſe crederetur.

### Myrtei.

*Vide Viator, quanta iactura occulti*
*Eſſet ſepulchri, ni ingeni ſui claris*
*Perennioribusq; monimentis tectus*
*Adhuc vbique viveret Catanæus.*

### Latomi.

*Penè adijſti ingens famæ Catanææ periclum,*
*Sic inſcijs ſodalibus*
*Qui Fato eriperis: ſtudiorum creditus illis*
*Partu propinquo quærere*
*Seceſſum, idque ſatis fuerat conqueſta Minerua:*
*Quam ſic Apollo reppulit:*
*Hæccine (ſignabatq; libros) monumenta, vel omni*
*Perenniora marmore?*

IACO

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Iacobus Sanazarius.



IACOBVS Sanazarius equeſtris ordinis poeta, Neapoli natus atque educatus, quum præ clarum fœcundi atque felicis ingenij ſpecimen daret, repudiato auito gentilitioque nomine, Actius Syncerus appellari voluit, adhortante Pontano, qui Iouiani cognomen, amicorum imitatione deſumpſerat. Sed origo vetuſtę ſtirpis e Sancto Nazario, Laumellini agri oppido, inter Padum & Ticinum non ignobili: vnde maiores aduenerant, non obſcurè petebatur. Floruit amicitia Federici regis, ſeneſcente Pontani gratia: qui Aragonum nomen vehementer offenderat, quum veluti perſonæ oblitus, victorem Carolum inuidioſa vel intempeſtiua oratione publicè laudaſſet. Permanſit in ea belli procella in officio Actius, redeuntique Ferdinando Iuniori, armatus inter fideles ciues operam præſtitit: vnde ei conſpicuus in aula gratiæ locus. Sed infeſtius demum vr-



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

gente Fortuna, quum Federicus regno pelleretur: conſtanti ſtudio atque integra fide, eum exulem in vlteriorem Galliam ſecutus eſt: qua gratiſsimi animi teſtificatione, ſingularem laudem promeruiſſe, vel eius inimici iudicabant. Scripſit, tanquam ambidexter, Etruſca ſimul atque Latina carmina, pari lepore ſaleque, arridentibus vtrinque Muſis, quum multo felle odij ſubamarus præpilata iacula iambis intorqueret: aut amorum ſuorum dulcedine reſolutus, tenerrimè laſciueret. Graui autem & ſacro poemate, de partu Virginis viginti annorum lima perpolito, ſummum decus fruſtra expectaſſe videri potuit: quum ille quæ iuueni exciderant, piſcatoriæ Eclogæ publico exceptæ plauſu, reliquorum operum famam oppreſſerint: ita vt eam publici tanquam iniqui iudicij querelam aperto cum pudore, nec tamen ſine tacita voluptate deuoraret. Vixit annos ſeptuaginta duos, peramœno, virentique ſemper ingenio, accuratoque & planè iuuenili cultu inter amatorias oblectationes: nunquam non feſtiuus & hilaris. Ex dolore autem indignantis animi, ſupremum concepit morbum quòd Philibertus Aurantius dux Cæſaris Margillinæ villæ ſuæ delicias, temerè exciſa turre deformaſſet. ea ad Pauſilypi radices conſpicitur. Sed Aurantio demum acie interfecto, quum hora fatalis adueniret, audito eius interitu ſeſe in cubitum erigens: Excedam, inquit, è vita hoc meo non inani voto lætus. poſtquam Barbarus Muſarum hoſtis, vltore Marte, immanis iniuriæ pœnas perſoluit. Sepultus eſt iuxta villam Margillinã in templo Deiparæ Virgini ab ſe dedicato. Marmoreo autem tumulo Bembus hoc carmen inſcripſit:

Bembi.

*Da ſacro cineri flores: hic ille Maroni,*
*Syncerus, Muſa, proximus, vt tumulo.*

Marci Antonij Flaminij.

*Quantum Virgilio debebit ſylua Maroni,*
*Et paſtor, donec Muſa Maronis erit:*
*Tantum penè tibi debent piſcator, & Acta,*
*Acti, diuino proxime Virgilio.*

Tibaldei.

*Virginis intactæ partum, partumq́ videbis,*
*Actia quem docto pectore Muſa dedit.*
*Admirandi ambo: humanæ fuit ille ſaluti*
*Vtilis, humanis hic fuit ingenijs.*

Petri Grauinæ.

*Qui diuina legis Synceri carmina vatis,*
*Magnaq́ Virginei ſacra puerperij:*
*Non hæc humano credas procedere ſenſu:*
*Authori mentem mouit, & ora Deus.*
*Hunc ſibi delegit, quo non cœleſtia quiſquam*
*Grandius, aut pleno cultius ore ſonet.*

Baſilij Zanchij.

*Has naſſas, hæc lina tibi Syncere ſepulto,*
*Piſcator tenui dedicat arte Mycon.*
*Hos calamos, myrtumq́ tibi, viridemq́ coronam*
*Arcadia paſtor ponit ab arte Lycon.*

Has

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Has lachrymas, vulſamq́ à vertice Mergillina*
*Cæſariem & violas ſpargit, & ammineum.*
*Parthenope patria ipſa tibi de marmore buſtum*
*Condit, & extentis funera temporibus.*

## Bembi.

*Quid moror? æterni te ſuſpicit vmbra Maronis,*
*Et tibi vicinum donat habere locum.*

## N. Nicolai Grudij.

*Nuper ad Oenotrias aciem quum flecteret arces*
*Chriſtus, & Euboicæ mœnia Parthenopes,*
*Mergillina procul qua Tethyos inſpicit vndas,*
*Audit ab Actiaca munera blanda domo:*
*Arrectusq́ diu modulamine carminis hæſit,*
*Inde ſacro taleis fundit ab ore ſonos:*
*Huc ades ô genitrix, illæſi virgo pudoris,*
*Arte pius vates dum tua facta nouat*
*An ne iterum arcano complere viſcera motu.*
*Conceptumq́ polo reddere credis onus?*
*Certè ego mî videor primis irrepere cunis,*
*Rurſus & horriferæ mortis obire vicem.*
*Dum mea ſæpe tamen ſic mors cantetur, & ortus,*
*Nec graue ſit naſci, nec mihi ſæpe mori.*

## Latomi.

*Dum vacat, & terras quoties petit illa Tonantis*
*Mater, virgineo ſed nec honore carens:*
*Synceri ad tumulum properat viſura, vireſcant*
*Candida cum rutulis lilia ſparſa roſis.*
*Viuum dein laticem, dein altera munera flores*
*Fundit, & arrepta ſic canit orſa lyra:*
*Conſcie viue mei felix Syncere pudoris,*
*Atque idem partus conſcie viue mei.*
*Nanque ego quo ſacrum ſecretum teſte peregi,*
*Hunc quoque tu teſtem carminis huius habes.*
*Esto, ventris onus fuerit ſine pondere pondus,*
*Dum celebres, pondus ſuſtinuiſſe velim.*

## Eiuſdem.

*Maior in aſſumpto ratio quo nomine conſtet,*
*Est vbi te cupiam fellis habere minus.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ioannes Manardus.



IOANNES Manardus Ferrarienſis, in Pannonia Vladiſlao Rege medendi artem exercuit, eandemque demum in gymnaſio Ferrariæ profeſſus, Epiſtolarum librum edidit, quo magna medentibus, pharmacopolis vtilitas paratur, quum terræ frugibus Indiciſque præſertim in medicinæ vſum adoptatis obſoleto antiquo nomine, & incerta virium poteſtate perobſcuris eruditam claritatem attulerit. Duxit vxorem planè ſenex, & articulorum dolore diſtortus, ab ætate, formaque florentis iuuenis toro dignam, adeò leui iudicio, & letali quidem intemperantia, vt maturando funeri ſuo, aliquanto prolis, quàm vitæ cupidior ab amicis cenſeretur.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Petri Curſij.

*Dum Manarde vigil cum prole Coronidis eſſes,*
*Vidiſti vitam perpetuam eſſe tuam.*
*At dum formoſa cum Pallade coniuge dormis,*
*Senſiſti mortem curuus adeſſe ſenex.*
*Hic nunc clarè iaces, & quem Podalirion eſſe*
*Vidimus, annoſum ſuſtulit ipſa Venus.*

Latomi.

*In fouea qui te periturum dixit Aruſpex*
*Non eſt mentitus: coniugis illa fuit.*

# Camillus Quernus Archipoeta.

CAMILLVS Quernus è Monopoli Leonis fama excitus, quũ non dubijs vnquam prẹmijs, poetas in honore eſſe didiciſſet, in Vrbem venit, lyram ſecum afferens, ad quam ſuæ Alexiados ſupra viginti millia verſuum decantaret. Arr iſere ei ſtatim academiæ ſodales, quod Apulus præpingui vultu alacer, & prolixè comatus, omnino dignus feſta laurea videretur. Itaque ſolemni exceptum epulo in Inſula Tyberis Æſculapio dicata, potantemque ſæpe ingenti patera, & totius ingenij opes pulſata lyra proferentem, nouo ſerti genere coronarunt, id erat ex pampino, braſsica, & lauro eleganter intextum: ſic, vt tam ſalſè quàm lepidè, eius temulentia, braſsicæ remedio cohibenda notaretur, & ipſe publico conſenſu Archipoetæ cognomen, manantibus præ gaudio lachrymis lẹtus acciperet, ſalutareturque itidem cum plauſu, hoc repetito ſæpe carmine:

*Salue braſs icea virens corona,*
*Et lauro, Archipoeta, pampinoq;*
*Dignus Principis auribus Leonis.*

Nec multò poſt tanto cognomine percelebris productus ad Leonem, infinita carmina in torrentis morem, rotundo ore decantauit, fuitq; diu inter inſtrumenta eruditæ voluptatis longè gratiſsimus, quum cœnante Leone porrectis de manu ſemeſis obſonijs, ſtans in feneſtra veſceretur, & de prin cipis lagena perpotando, ſubitaria carmina factitaret, ea demum lege, vt præſcripto argumẽto bina ſaltem carmina ad menſam tributi nomine ſoluerentur, & in pœnam ſterili vel inepto longè dilutiſsimè foret perbibendum. Ab hac autem opulenta hilarique ſagina, vehementem incidit in podagram, ſic vt belliſsimè ad riſum euenerit, quum de ſe canere iuſſus, in hunc hexametrum erupiſſet:

*Archipoeta facit verſus pro mille poetis,*

Et demum hæſitaret, inexpectatus Princeps hoc pentametro perargutè reſponderit:

*Et pro mille alijs Archipoeta bibit.*

Tum verò aſtantibus obortus eſt riſus, & demum multò maximus, quum Quernus ſtupens & interritus, hoc tertium non ineptè carmen induxiſſet:

*Porrige quod faciat mihi carmina docta Falernum*

Idque Leo repentè mutuatus à Virgilio, ſubdiderit: n 3

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Hoc etiam eneruat, debilitataq́; pedes.*

Mortuo autem Leone, profligatisq́ue poetis, Neapolim redijt: ibiq́ue demum quum Gallica arma perſtreperent, & vti ipſe in miſerijs perurbanè dicebat, pro vno benigno Leone, in multos feros lupos incidiſſet. Oppreſſus vtraque prædur æ egeſtatis, & inſanabilis morbi miſeria, in publicâ hoſpitali domo vitæ finem inuenit, quum indignatus Fortunæ acerbitatem præ dolore, ventrem ſibi ac intima viſcera forfice perfoderit.

Iani Vitalis.

*Laurus, braſsica, pampinus coronam*
*Contextæ ſimul, hinc pares in vnam,*
*Deflent interitum ſui poetæ:*
*Quinimmo archipoetæ: & hinc lagenæ*
*Scyphiq́; & cyathi, amphoræ, vrceiq́;*
*Queruntur lepidum ſuum patronum,*
*Pro dulci, modò Cretico & Falerno*
*Exhaurire acidas Stygis lacunas,*
*Et ſales periſſe Quernianos,*
*Dum vitæ ſibi prodigus moleſtæ,*
*Fodit viſcera forfice. ô ſeuerum*
*Noſtri temporis Appulum Catonem.*

Latomi.

*Quum matrem Thymelen, patrem Bathyllum*
*Pertot luſtra tibi aſtruas Camille:*
*Argutis ſalibus, facetijsq́;,*
*Et primo numeris in vngue natis,*
*Exercens Decimi gulam Leonis,*
*Et ſummi titulum ferens poetæ:*
*Quid eſt, quòd moriens ſupremo in actu,*
*Ferro viſceribus dolenter hauſtis*
*Tanquam ſis rigido Catone natus,*
*Perſonam proicis, vetasq́; plaudi?*

# Albertus Pius Carpenſis.

LVBET hoc loco ſub illuſtri ſcilicet imagine Alberti Pij inter exempla Fortunæ humanis conſilijs malignè & petulanter illudentis, eius viri grauiſsimi genus, opes, ingenium, mores, ſtudiaq́ue referre: vt vel hinc mortales inani rerum peritiæ perſuaſione ſubnixi, Fortunam omni prudentia ſuperiorem intelligant. Is antiquiſsima ſtirpe ortus, à maioribus per manus traditum, quum ante ducentos annos Mutinæ imperaſſet, in campis Nacris, Carpum nobile oppidũ poſſedit: optimisque literis, generoſisq́ue moribus animũ pariter, & corpus excoluit,

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

excoluit. Erat enim à procera, decentique ſtatura ad arma neruis, & ſpiritu validus ac habilis, maximarum autem rerum negocijs & literis prałaltum, & incomparabile ingenium attulerat. Nihil enim vel præſtantis doctrinæ, vel ſolertis induſtriæ, vel reconditæ artis, ardens eius ingenium, ſemperque viuidum, & maximè efficax ſubterfugit. Erat enim celeri captu, expedita ratione, tenacique memoria ſtupendus: eloquentia porrò tanta, vt in omni congreſſu & diſputatione, quum de arduis conſuleretur, & odio amarus, & amore prædulcis, tranquillitate lenis, atque ſedatus, & vehementia concitatus, atque fulmineus, quò vellet Principum animos impelleret: & ſummus bello, & pace conſultor, & mirabilis occaſionum inuentor, & artifex cenſeretur. Quatuor ſummis Regibus, & totidem maximis Pontificibus in præclaro ſemper honore legationum operam præſtitit, vigilantia, fide, & prouidentia ſemper illuſtrem. Sed vti occultæ Principum voluntates, & erumpentia ex inſperato eorum odia tulerunt, coactus eſt alterna partium ſtudia profiteri, quod his omnino adhærendum iudicaret: quibus Alfonſus Ateſtinus hoſtis eſſet, quo cum de poſſeſſione paterni agri diſceptabat. Sed Ateſtini Fortuna præclarè ipſa Pij prudentia virtuteque ſuperior, priuatam cauſam publicis cladibus inuoluit, atque ita capto Clemente Pontifice, quum vrbs Roma fœdè perijſſet, ex arce emiſſus in Galliam enauigauit, vbi ſe paterna ditione Cæſaris iudicio exutum audiuit. Inde ei diuturnus articularis morbus, quo miſerè conuulſus cruciabatur, adauctus eſt: hunc diu æquo animo, & Chriſtiana patientia fortiter tuliſſe fruſtra fuit, quum ſæua peſtis fatalem horam adduceret. Obijt Lutetiæ non planè ſenex, ſub id tempus, quo Carolus Cæſar, & Solymanus, irrito vtrinque auſu ad Viennam Noricam certaturi credebantur. Rodulphus Pius fratris filius, quem aliquantò poſt Paulus Pontifex eximiæ virtutis merito legit in Senatum, condito æneo ſepulchro patrui memoriam proſecutus eſt. Sed Albertus ipſe multo perennius antea ſibi ſtruxerat, quum librũ longè grauiſsimum aduerſus Lutherum perſtricto etiam Eraſmo Roterodamo publicaſſet.

### Ferdinandi Balamij.

*Inſignes rerum, ſtudijsq́ Mineruæ*
*Perpaucos ætas priſca recensq́ dedit:*
*In Solem, aſſuetus doctos verſare libellos*
*Quum prodit, lucem non tulit inſolitam:*
*Laudibus hunc omnes doctrinæ, & rebus agendis*
*Conſpexère domi, conſpicuumq́ foris.*
*Hunc Arar, hunc Rhenus toties, hunc accola magni*
*Eridani, hunc Tybris ſenſit, & obſtupuit.*
*Fortuna inuidit, raperisq́ Alberte, tuorum,*
*Italiæq́ omnis cum gemitu, & lachrymis.*

### Iulij Gonzagæ.

*Hoc decus Italiæ tegitur Pius ille ſepulchro,*
*Solerti ingenio, conſilioq́ potens:*
*Nulli hominum vis dicendi, facundia maior,*
*Ille ſed & ſtudijs auxit, & arte magis.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Hunc Reges, hunc Pontifices ſibi rebus agendis*
*Optarant ſocium, conſilijſque ducem.*
*Felix, ſpem ſenij natum niſi fleſſet ademptum,*
*Et data in hoſtiles regna paterna domus.*

### Stephani I

*...it funere Mors nimis ...*
*...mnoſa nimis vir...*
*... decus or...*

[illegible]

### Latomi.

*Qui ſic proſcindas cauſa pietatis Eraſmum,*
*Te, mihi religio eſt ſumma negare pium.*
*Hoc ego cur faciam? quum nec pietatis Eraſmus*
*Læſus perſonam detrahit ipſe ſibi?*

LVDO.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ludouicus Arioſtus.



LVDOVICVS Arioſtus nobili genere Ferrariæ natus, cum paterna hæreditas inter numeroſam fratrum ſobolem diducta, ipſi pertenuis obueniſſet, ingenium in literis vigilãter exercuit, vt certo nobilique præſidio familiæ nomen tueretur. Sed vti pari prope neceſsitatis, & glorię ſtimulo vehementer excitatus, feliciore certè iudicio inter primos Etruſcæ linguæ poetas celebrari, quã inter Latinos in ſecundis gradibus conſiſtere maluit: quòd eius induſtriæ labor, cũ eruditis ac idiotis latiſsimè diſpenſatus, vberiorem præſentis præmij, & diffuſæ laudis fructum oſtẽderet. Adhæſit comes Hippolyto Ateſtino cardinali in Pannoniam profecto: quũ ille erudito ac illuſtri comitatu apud reges Hungaros ambitioſe gauderet: ſed iterũ euntem, quũ ſequi recuſaſſet, vſq; adeò grauiter offendit, vt penè implacabilis odij diſcrimen adierit. Receptus inde eſt ab

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Alfonſo principe tãquam horarum omnium amicus, & ſodalis, cuius benigna manu vrbanam domum extruxit peramœna hortorum vbertate, frugi menſæ quotidianos ſumptus adæquantem. In eo autem ciuili ocio, extra aulæ ſtrepitũ poemata factitauit: ſatyras inprimis mordaci ſale conſperſas, ac item comœdias plures theatrali voluptate ſæpe repetitas: inter eas autem, maximè Suppoſiti excellunt, inuentionis atque ſucceſſus amœnitate cum Plautinis facilè contendẽtes, ſi vtriuſque ſeculi mores non ineptè comparentur. Sed luculentiſſimum operum, ob idque forſitan æternum id volumen exiſtimatur, quo Orlandi fabuloſi Herois admiranda bello facinora, octonario modulo decantauit, Boiardo hercle, ipſoque Pulcio peregregiè ſuperatis. Quandoquidem & hunc rerum, & carminum accurata grãditate deuicerit: ac illum ſurrepto inuentionis titulo, ac eo quidem varijs elegantioris doctrinæ luminibus illuſtrato penitus extinxerit. Cuncta enim euoluiſſe volumina videtur, ut ſibi vndique collecta gratia, ex iucundiſſimis floribus longè pulcherrimam, ideoque perennem, quod lepidum caput ornaretur coronã intexeret. Interijt in patria ſcalari ætatis anno, quum diu pectoris anguſtia ex pituitæ ſtillicidio laboraſſet: hoc autem carmen, viuens compoſuit, vt ſepulchro incideretur.

*Ludouici Arioſti humantur oſſa*
*Sub hoc marmore, ſeu ſub hac humo: ſeu*
*Sub quicquid voluit benignus hære s:*
*Siue hærede benignior comes: ſeu*
*Opportunius incidens Viator,*
*Nam ſcire haud potuit futura, ſed nec*
*Tanti erat vacuam ſibi cadauer*
*Vt urnam cuperet parare viuens,*
*Viuens iſta tamen ſibi parauit,*
*Quæ ſcribi voluit ſuo ſepulchro,*
*Olim ſi quod haberet is ſepulchrum:*
*Ne cum ſpiritus hoc breui peracto*
*Præſcripto ſpacio miſellus artus,*
*Quos ægrè antè reliquerat, repoſcet:*
*Hac & hac cinerem hunc & hunc reuellens:*
*Dum noſcat proprium, diu vagetur.*

Cælij Calcagnini.

*Tu repetis cœlum, & terras Arioſte relinquis,*
*Et loca iam meritis inferiora tuis.*
*Nos miſeri, & curis longè mortalibus acti,*
*Non tibi, ſed nobis fundimus has lachrymas.*
*Gloria te niueis ſubducit in æthera bigis,*
*Nos ſine te luctu perpetuo opprimimur.*

Latomi.

*Arma virumq; canens, Etruſcæ carmina Muſæ,*
*Palmam Virgilio vel tribuente refers.*
*Scit ſua te melius patrio ſermone Latina,*
*Quàm ſeſe Latio Graia referre ſono.*

AEGI-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ægidius Cardinalis.

NON eſt cur te prætercam Ægidi, humili quidem loco, verùm maximè illuſtri Fato Viterbij nate: Chriſtiani ſcilicet oratoris in ſacra pergula, primum, atque vltimum decus merite: quanquam egregia illa arcanis Moſeos deprompta, ſublimis ingenij monumenta tenebris adhuc impiè ſupprimantur. Præſtantiſsimum enim præceptorem facilè ſuperaſti, Marianum ſcilicet Genezanenſem, Pontani, & Politiani admiratione, eruditoque præconio inclytum. huius enim extat in Epiſtolis laudatio florentiſsima, illius verò nobile carmen, quod in Aegidio Dialogo tale legitur.

*Qualis Alphei liquidos ad amnes,*
*Siue Meandri viridante ripa,*
*Concinit ſerum moriens in ipſo*
*Funere cygnus.*
*Talis ad plectrum ad Thyaſos Deorum*
*Ludit in cœlo Marianus, ipſa*
*Morte victurus Marianus, ipſo*
*Funere fœlix.*
*Ipſe ſis felix, faueasq́; nobis,*
*Ipſe ades feſſis Mariane rebus,*
*Tu preces audi miſerorum, & iras*
*Siste Tonantis.*

Cæterùm Marianus, Ægidij comparatione ad optimè glorioſeque dicendum, nequaquam tanta ex Græcis, noui, & veteris inſtrumenti enarratoribus præſidia compararat: neque penetrarat ad Chaldæos, vt admiranda noſtræ legis fundamenta reuelaret: neque concionibus prædulce illud, & nobile poeticum melos inſtillarat: vt ſuſpenſos arrectis auribus animos, ſuauitate carminũ ad colendam pietatem reuocaret. Sed Ægidius quum in ſuggeſtu verè admirabilis, æquo iudicio per omnes vrbes oratoriæ facultatis lauream mereretur, etiam domi lepidiſsimis ſermonibus nouam laudem ferebat. Erat enim eius ingenium exquiſito literarum omnium delectu grauiter extructum, ſic, vt in omnes exemplorum caſus peramplas opes, alacris, & expedita memoria ſuppeditaret: facundia porrò tanta diſsimulatis illecebris audientes ſemper exhilarans, atque demulcens, vt ipſo concionante vel maxima templa complerentur. Ante autem id tempus, quo totius Eremitani ordinis præfecturam à Iulio con ſecutus eſt, nonnunquã accidit, vt Patauij optimis literis operam nauans, facti tata ab ſe lepida carmina ad lyram elegantiſsimè decantaret. Ei demum Leo pontifex, virtutem omnem liberaliter ornare ſolitus, honorem purpurei galeri detulit: quum Petruciana coniuratione, & Vmbrico bello circumuentus, Senatum aut maligne aut ſegniter principis iniuriam ferentem, ſupplere cogeretur. Exinde functus eſt legatione in Hiſpaniam, quum Selymo poſt debellatos Perſas, & duos Memphiticos reges interfectos, nobis arma comminante Chriſtianæ gentes ad ſacrum bellum excitandæ viderentur. Sexageſimo ætatis anno ſubita oppreſſus pituita Romæ interijt, quũ Clemens Carolum Cæſarem Bononiæ iterum excepiſſet, deſtinatus, optatusque à multis ad Pon

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

tificatum, tanquam par ſummo oneri. Sed non deerant, qui præclari nominis famam verbis eleuarent, quòd pallorem oris ſumpto cumino, & ſuffitu vdæ paleæ mentiretur, variaſque libidines cenſoria ſeueritate contegeret, quas demum malignus potius rumor, quàm vlla certi veſtigij relicta proles detexit. Fit enim quadam naturæ minimè benigna ſorte, vt nulla abſolutæ virtutis præclara facies enitere poſſit, niſi aliquem vitij turpem næuum ad eludendam felicitatem oſtendat.

Iani Vitalis.

*Ante ſacroſanctos cineres bona verba Viator*
*Dicito, diuinus hîc iacet Aegidius:*
*Qui potuit lingua humanas inflectere mentes,*
*Et trahere hærentes feruidus adſe animos.*
*Quicquid pandit Arabs, diuinum quicquid Erembus*
*Diues Aramæis occulit in tabulis,*
*Explicuit populis: & ſi quid ſpiritus vltra*
*Sentit, adhuc ſanctum quod meditetur habet.*

Latomi.

*Et tua debuerat ſummos conſcendere honores*
*Virtus, & probitas, ingeniumq́ ſagax.*
*Sed tuus obtendit Genius, fuge protinus, inquit:*
*Nunc formidatos truderis in ſcopulos.*
*Non eſt iam merces, ſed talio, ſumma referre:*
*Et tu pacem, alij belligerentur, amas.*

# Ioan. Franciſcus Picus Mirãdula.

IN Ioanne Franciſco Pico Mirandulo, inter ſtudioſos bonarum artium, ſcribendiq; auidos memoria verborum vehementer excelluit: ſed in ipſo rerum delectu illud perilluſtre iudicium, quod ſummo viro Hippocrati maximè difficile exiſtimatur, omnino non viguit. Fruſtra enim ad Ioannis patrui gloriam aſpiranti, ingreſſoque grauiſſimorum ſtudiorum penetralia, quum inſatiabili lectione duceretur, nuſquam Minerua ſatis arriſerat. Extant eius ſacra poemata ſuis quoq; Commentarijs illuſtrata, ne legentibus minus clara viderentur: & libri de Veritate fidei Chriſtianæ, in quibus diſciplinarum omnium aceruus eminet. Sed acriter diſputantem inter cucullatos, magna etiam expeditæ doctrinæ laus ſequebatur, quum ſcribentem vel mediocriter eloquentes minimè probarẽt. Neque enim quid potiſsimum imitaretur, conſtitutum habuiſſe videri poteſt ex duobus præſertim libellis, de Optimo imitationis genere ad Bembum præſcriptis. Sed quum in omnibus ingenij operibus ſacras literas religioſè reſpiceret, contempſiſſe Latinæ facundiæ flores, atque inde gloriam tanquam inanem exiſtimari voluit: quanquam eius vniuerſa literarum ſtudia, tanquam illuſtri in homine, & in domo ſanctiſſimis moribus perornata, quum in minus ſeueros iudices facilè inciderent, ſplendidiora viderentur: & hercle vir antiqua ſimplicitate potius, quàm nouo aſtu æquiora iudicia redimebat: quum libros ipſos priuato

impreſ-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

impreſſos ſumptu, liberali largitione publicaret. Interfectus eſt cum Alberto filio, vir indignus adeò crudeli vitæ exitu, à Galeotto fratris filio, quum noctur nis inſidijs, capta arce, Mirandulæ dominatum ex paterno iure inuadendum exiſtimaſſet. Fuere qui crederent merita fortaſſe pœna mulctatum, quod cudendæ monetæ miſerum artificem ipſius officinæ præpoſitum, ex impuri auri, & decumum ſubtiliter improbi, magnum ſenſim lucrum ipſi domino reddentem, crudeli ſupplicio ad deriuandam inuidiam ſuſtuliſſet: quū intellecta fraus ipſius famæ vehementer officeret, palãque ea aurea moneta, ex eius effigie ſpectabilis, vulgato vitij detrimento reijceretur. Sed iuuat audire quoſdam, virū alioqui integra fide optimum excuſantes, tanquam eius auaræ fraudis penitus ignarum, quum in vxorem, quòd eſſet accurata & diligens materfamiliàs, tanquam muliebris auiditatis probro notatam, eius flagitij nomen nullo cum pudore referendum exiſtiment.

Myrtei.

*Hic Picus iaceo, atque me illa, quæ iam*
*Ante non potuère, nunc iniquo*
*Me ſeruant obitu arma literarum.*
*Ægrè illud fero concidiſſe dextra*
*Fratris filij: hoc eleuor, me adeptum*
*Vitam pro ſtudijs meis perennem.*

Latomi.

*Paſſus es immeritam (quis enim Franciſce negarit*
*Non minus inſigni cum feritate, necem.*
*Sed iuuat interea ſciolos inquirere quoſdam,*
*Exitio quæ te Fata dediſſe putent.*
*Sunt ea: laudatæ pietas ſanctiſſima vitæ:*
*Verus amor recti, mens ſine felle mali.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Nicolaus Machiauellus.



QVIS non miretur in hoc Machiauello tantùm valuiſſe naturã, vt in nullo vel certè mediocri Latinarũ literarum cognitione, ad iuſtam rectè ſcribendi facultatem peruenire potuerit: habili ſiquidem ingenio, ac vbi ſolertiam intenderet, planè mirabili, cuncta quæ aggrederetur elegantiſsimè perficiebat, ſiue ſeria ſiue iocoſa ſcriberentur. In Hiſtoria enim apprimè grauis, & aſtutus, ita Patriæ fauit, vt diſsimulatis ſectionum ſtudijs, impellente recondita libidine, & lenis, & aſper inceſsiſſe iudicetur, egregia herclè cum laude, niſi vti nos non imperiti rerum Etruſcarum præclarè conſpicimus, prædulcis eloquentię mella, occulto veneno illita, ſingulis operibus infudiſſet: & tum etiam, quum optimum principem formaret, quum bellicis præceptis ducem inſtrueret, & denique traditis exactæ prudentiæ documentis, in deliberando & conſulendo eximium ſenatorem

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſenatorem effingeret. Sed comiter æſtimemus Etruſcos ſales, ad exemplar comœdiæ veteris Ariſtophanis, in Nicia præſertim comœdia: in qua adeò iucundè vel in triſtibus riſum excitauit, vt illi ipſi ex perſona ſcitè expreſſa, in ſcena inducti ciues, quanquam præaltè commorderentur, totam inuſtæ notæ iniuriam, ciuili lenitate pertulerint: actamque Florentiæ, ex ea miri leporis fama Leo Pontifex, inſtaurato ludo, vt Vrbi ea voluptas communicaretur, cum toto ſcenæ cultu, ipſiſque hiſtrionibus Romam acciuerit. Conſtat eum, ſicuti ipſe nobis fatebatur, à Marcello Virgilio, cuius & notarius & aſſecla publici muneris fuit, Græcæ atque Latinæ linguæ flores accepiſſe, quos ſcriptis ſuis inſereret. Ipſe quoque natura perargutus, & docilis, ſalſique iudicij plenus, pedeſtrem patrij ſermonis facultatem à Boccacij conditoris vetuſtate diffluentem, nouis, & planè Atticis vinculis aſtrinxerat, ſic, vt ille caſtigatior, ſed non purior aut grauior otioſis ingenijs exiſtimetur. Cæterùm quod olim eiecto Soderino à Mediceis in quęſtione tortus fuiſſet, ab his leniendo dolori, annuam ſcribendi Hiſtoriæ mercedem promeruit, ita tamen, vt ægrè compreſſo odio, quum dicendo, ſcribendoque Brutos, & Caſsios laudaret, eius coniurationis architectus fuiſſe putaretur: in qua Aiacetus poeta, & Alamanus ex ipſa turma prætoria leuiſsimus eques, cõceptis ſceleris capite pœnas dederunt. Fuit exinde ſemper inops vti irriſor, & atheos: fatoque functus eſt, quum accepto temerè pharmaco, quo ſe aduerſus morbos præmuniret, vitæ ſuæ iocabundus illuſiſſet, paulo antequàm Florentia Cæſarianis ſubacta armis, Mediceos veteres dominos recipere cogeretur.

# Philippus Decius.



PARI ferè gloria & dignitate Philippus Decius in profeſsione humani, diuiniq; præſertim iuris floruit, Mayni Iaſonis & ciuis & æmulus, ac ętate ſimul æqualis, ſed qui docendo, & ſcribendo in omnibus Italiæ gymnaſijs multò latius ingenij famam protulerit. Enarrabat enim ſubtiliſsime & vti ſæpe vidimus, longè omnium acerrimè diſputabat. Ab ipſis Piſis vbi vxorem duxerat, Ticinum à Gal-

lo præ

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

præſide, opimis ſtipendijs euocatus, in id tempus incidit, quo Ludouicus Rex ad conuellendam Iulij Pontificis authoritatem, concilium Piſis induxerat. Fugitiui, ideoque rebelles aliquot Cardinales, in gratiam Regis ſynodum poſtulabant: ius verò indicendi, decernendique loci Pontifex ad ſe reuocabat. Conſultus propterea Decius ſuper ea re, intemperanter contra maieſtatem Pontificis deſcripto reſpondit, ſecus ac Iaſon, qui rogatus ſententiam, vel magno munere oblato adduci non potuit, vt non clementiſsimè reſponderet. Ob eam contumeliam Matthæus Sedunenſis Cardinalis, pulſis Gallis victore cum exercitu, Ticinum vrbem ingreſſus, vnam omnium Decij domum militi diripiendam dedit. Tanto accepto incommodo in Galliam ex fuga profectus, in ciuitate Biturigum ius diuinum edocuit per duos fermè annos. Inde verò in Italiam reuerſum Senenſes conduxerunt: qua in vrbe, vnica eius filia Senenſi patritio collocata, octogenario maior interijt, delatusque eſt Piſas ad ſepulchrum marmoreum, magno ſumptu ab ſe in maximi templi fronte conſtitutum, inſcriptione adeò inepta, vt ſi eam ſupponamus, elegantibus ingenijs non ſine pudore boni mortui, ridenda videatur.

### Iani Vitalis.

*Dum curat Decius ſibi ſepulchrum*
*Clarum marmore ponere eleganti,*
*Inſcripſit titulos ineruditos,*
*Vt riſum magis excitare poßint,*
*Quàm laudare hominem vndecunque clarum:*
*Quòd ſi non ſibi cultius ſepulchrum*
*Quàm doctos titulos, & elegantes*
*Curaſſet, modò mollius iaceret.*

### Latomi.

*Quum mors ad Decij nouum ſepulchrum*
*Legiſſet titulos parum Latinos:*
*Certè, inquit, timui hactenus lucernam*
*Iuris tollere: quod minus venuſtè*
*Feciſſe arguerer, parumq; doctè.*
*Sed quum ſic loquitur magiſter ipſe,*
*Committam quoque & ipſa barbariſmum.*

o 3

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Thomas Morus.



FORTVNA impotens, & ſuo more inſtabilis, infeſtaque virtuti, ſi vnquam ſuperbè, & truculenter iocata eſt, ſub hoc nuper Henrico Octauo in Britannia immaniſsimè deſæuijt, proſtrato ante alios Thoma Moro, quem Rex, paulò ante præclarus eximiæ virtutis admirator, ad ſummos honores extulerat: inde eũ fatali ſcilicet oborta inſania, mutatus in feram, crudeli mox impetu præcipitem daret, quòd huius furentis Tyranni nefariæ libidini, vir omnibus religionis, atque iuſtitiæ numeris longè optimus, atque ſanctiſsimus adulari noluiſſet. Dum enim ille vxorem repudiare, pellicem inducere, filiamque magno probro abdicare properaret, Morus ſcrinij Magiſter, pietatis ac innocentiæ ſuæ reus, cauſam ad tribunal dicere coactus, impio iudicio, niſi par metus ab irato & ſæuo mentes excuteret, ita damnatus eſt, vti latronum more, teterrimo

ſupplicij

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſupplicij genere necaretur: nec fas eſſet dilacerata membra, propinquorum pietate ſepelire. Sed Henricus, vel hoc vno facinore Phalaridis æmulus, eripere nõ potuit, quin ad ſempiternam inuſitati ſceleris memoriam, Mori nomen in Vtopia, perenni conſtantiæ laude frueretur. In ea enim beatæ gentis regione, optimis inſtituta legibus, ac opulenta pace florentem Rempublicam elegantiſsimè deſcripſit, quum damnatos corrupti ſeculi mores faſtidiret: vt ad bene beateque viuendum, commento periucundo, rectiſsima via monſtraretur.

### Iani Vitalis.

*Dum Morus immeritæ ſubmittit colla ſecuri,*
*Et flent occaſum pignora cara ſuum,*
*Immò, ait, infandi vitam deflete Tyranni,*
*Non moritur, facinus qui graue morte fugit.*

### Iacobi Exerichi Hiſpani.

*Henricus Morum gladio iugulauit iniquo,*
*Tam dignum vita, quàm fuit ipſe nece:*
*Mortuus ille tamen viuet per ſecula cuncta,*
*Poſt mortem virtus viuere ſola facit.*

### Ioannis Secundi Hagienſis.

*Quis iacet hîc? Truncus. Cuius caput enſe reciſum eſt,*
*Et natat in tetro ſanguine? Canities. Hoſp.*
*Hic eſt ille Thomas Morus, ſic Fata rependunt. Ciuis*
*Triſtia multa bonis, & bona multa malis.*
*Quæ circunſiſtunt Diuæ lugubre cadauer? Hoſpes*
*Diua tenax Veri, ſancta Fides, Nemeſis, Ciuis*
*Harum prima odij cauſa, & fuit altera mortis,*
*Vltrix iniuſtæ tertia cædis erit.*

### Latomi.

*Quid tibi cum Moro, tali indigniſsima ciue,*
*Anglia? Quid pergis dicere inepta tuum?*
*Tu ferro inſontem, nec ſimplice morte, Catonem*
*Perſequeris: tutò nec licet eſſe pium.*
*Proinde ſile: nam quo maculam tibi demeret iſtam,*
*Ipſe tibi patriam condidit Vtopiam.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Roſſenſis Cardinalis.



PARI quoque immanitatis portento, ante paucos dies, quàm Morus obtruncaretur, eadem ſanguinarij Regis rabies Britanniæ lumen extinxit Ioannem Ficerium Antiſtitem Roſſenſem, animi pietate, candore, conſtantia, priſcis illis, atq; ſanctiſsimis Chriſtiani ordinis patribus comparandum. Is quum ſumma ſacræ eruditionis, & probitatis authoritate clariſsimus ſpectaretur, vel atrociſsimi ſupplicij metu expugnari non potuit, vt Regi ex impudenti repudio inauſpicatas nuptias affectanti, volens parèret. Putabat enim Regem paulò ante admirabili virtutum omnium concentu, & rariſsimis naturæ atque Fortunæ muneribus præſtantiſsimum, atræ bilis morbo correptum inſaniſſe, quòd iratus Romani Pontificis ſententiæ, qua fuerat ex diuini iuris formula damnatus, Pontificij Imperij patrimoniũ inuaſiſſet. Non ſubſcripſit ergo nefario rebel

lantis

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

lantis Regis voto, vir egregiè pius, integreque ſeuerus, acideo in carcerem ductus eſt, vt vitæ periculo, & longo cruciatu, imbecilli ſenis conſtantia frangeretur. Id celebre factum ita Roffenſi parauit laudem, & Henrico inuidiam cumulauit, vt eum Paulus Tertius ad exornandam virtutem natus, collato ſacræ purpuræ honore legerit in Senatum. Senſit illico exprobrati odij vulnus Rex ſuperbus & impius, ſanctiſsimoque viro modeſtè ea dignitatis fama permoto, caput in foro præcidit, ne merita purpura ornaretur. Ferunt id caput lanceæ præfixum, vt ludibrio, terrorique cæteris foret, publicis lachrymis laudatum, ac adoratum extitiſſe. Reliquit ingenij monumenta eruditum volumen, quo Lutheri opiniones grauiſsimè confutarat: itemque alios vtiles libros, quibus ſacri ſacerdotij authoritatem defendit, & de Veritate corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia libros quinque aduerſus Oecolampadium. Sed is ſibi admodũ exitialis fuit, quo Catharinæ Reginæ coniugium tuetur. Extat etiam religioſè meditationis explicatio in ſeptem Dauidicos Pſalmos: reliqua in carcere purgatiſsimè conſcripta, quòd damnatæ cauſæ nomen iugularent, Tyrannus aboleuit.

### Incerti.

*Tene viri tanti ceruicem abſcindere poſſe?*
*Tene cruore pio commaculare manus?*
*Si vita ſpolias Roffenſem Barbare, quando*
*Vllum producet terra Britanna parem?*
*Sed tu ſancte ſenex, æuo fruiture beato,*
*Lætus abi, in cœlum te vocat ipſe Deus.*

### Latomi.

*Quum te, ſancte ſenex, infami morte, Tyrannus*
*Perderet, æternis obijceretq́; probris:*
*Perdere non potuit titulis cœleſtibus auctum,*
*Turpiter haud famæ conſuluiſſe tuæ.*
*Quin luit æternùm ſcelus exitiale, pudendum*
*Seque ſibi, & populus reddidit ipſe ſuis.*
*Poſtera, nam dicet, quæ talia legerit ætas:*
*Anglia bina vno tempore monſtra tulit.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Leonicus Tomæus.



LEONICVS Tomæus Epirota patre Venetijs genitus, ſed Patauio inſitus ciuis, quum Florentiæ Græcas literas ſub Demetrio didiciſſet, primus Latinorum philoſophorum Patauij Ariſtotelem Græcè interpretatus eſt. Philoſophiam enim ex puriſſimis fontibus, non ex lutulentis riuulis ſalubriter hauriendam eſſe perdocebat, exploſa penitus ſophiſtarum diſciplina, quæ tum inter imperitos, & barbaros principatum in ſcholis obtinebat, quum doctores excogitatis barbara ſubtilitate Dialecticorum figmentis, Phyſicas quæſtiones non ad veritatis lucem, ſed ad inanem diſputandi garrulitatem reuocarent: & iuuentus in gymnaſio Arabum, & barbarorum commentationes ſecuta, à recto munitoque itinere in confragoſas ignorantiæ crepidines duceretur. Scripſit eruditè & luculenter Commentarios in parua Naturalia Ariſtotelis: ac item perelegan

ter

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ter aliquot quæſtiones, & in his de intellectu, de Alica & de Aſtragalo, tituli varietate iuuentuti gratas & vtiles. Sed in libro de varia Hiſtoria, quo ingens & peramœna reconditæ lectionis copia exprimitur, omnes eius ætatis ſtyli iucunditate ſuperauit. Vita eius procul à contentione, ambitioneque, in ſtudioſo mollique otio verſabatur ita, vt domi, quàm in ſchola clarior, beneuolis vera Peripateticorum, & Academicorum dogmata ſuauiſsima comitate pomeridianis horis explicaret. Peruenit veneranda barbæ canitie ad ſeptuageſimum tertium ætatis annum mediocri ſubſtantia, ipſaque ciuili frugalitate, & cœlebs, & felix, quod nemo vel innocentiæ & doctrinæ conſcientia, vel munditia corporis vel animi nitore beatior ætate noſtra fuerit. Aluerat domi gruem, de manu ipſius ſenili oblectamento cibaria capientem per quadraginta annos. Is ſenio tabefactus quum periſſet, ex eius deſiderio triſte omen concepit, prædixitque nullo laceſsitus morbo, ſe nõ multò poſt adamati gruis fatum maturo vitæ exitu ſecuturum. Patauini, externaque gymnaſij cultrix iuuentus funus ornauère. Sepulchrum autem Bembus faciundum curauit, & carmine nobilitauit.

*Naturæ ſi quid rerum te fortè latebat,*
*Hoc legis in magno nunc Leonice Deo.*

Latomi.

*Precare ſacra verba, Viator,*
*Nam Tomæus hîc ſepultus eſt:*
*Dulci fruitur memoria*
*Integritatis illibatæ,*
*Partáque literarum gloria.*
*Funde puer dulce merum:*
*Odoros ſparge floſculos:*
*Spiret vt buſtum, madeatq; tellus:*
*Illaq; ſancta & candida animula*
*Se totam noſtra gratitudine inebriet.*
*Addemus titulum ſepulchro & iſtum,*
*Barbarus vt ne quis violet:*
*Hic iacet vir vnus omnium*
*Doctiſsimus, piiſsimus.*

# Auguſtinus Niphus.

AVGVSTINO Nipho Sueſſæ ad Auruntam nato, ſed ab vrbe Trophea in Brutijs oriundo, inter Ariſtotelicæ ſectæ profeſſores eximia laus contigit, quum in omnibus ferè Italiæ gymnaſijs, Achillino & Ponponatio florentibus opima ſtipendia meruiſſet. Erat ingenio fertili, adaperto, liberali, ſermone a utem Campanum pingue quoddam reſonanti maximè libero, & ad ſerendas fabulas in ſuggeſtu corona que, ad voluptatem aurium periucundo: ſed vel toto ore ſubagreſti, & penitus infaceto ita ſe ad vrbanos iocos componebat, vt valde mirarẽ-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

tur, qui mox tacentis ſupercilium auſteraque labra, & lineamenta conſpicerent. Scripſit in omnes Ariſtotelis libros perampla commentaria, ſed rudi & incondita quadam vbertate, vt tum mos erat, craſsis & planè barbaris auribus accommodata, quod Latinè, rectèque ſcribendi facultatem, tanquam inimicam optimis diſciplinis, ab ipſa præſertim philoſophia ſegregabant. Luculentius eius operum exiſtimatur id, quod pro Auerroe aduerſus Algazellem diſputante tum publicauit, quum florente ætate à multo vigore ingenij neruoſior haberetur: quanquam ipſe in opinione decretoque parum conſtans, euariatoque ſæpe iudicio commentationes in Analytica priora, & in libros de Anima tenerius adamaſſe videamus. Parto demum otio, obrepenteque podagra, ſcripſit aduerſus Aſtrologos, Moraleſque libellos: & de Tyranno & rege, & de Augurijs, varietate tituli vel parum curioſis expetendos, & longiore quidem dignos vita, ſi plenior Latini ſermonis ſpiritus acceſsiſſet. Suſceptis liberis, & ſeneſcente vxore ſeptuagenarius ſenex, puellæ citra libidinem impotenti amore correptus eſt vſque ad inſaniam: ita vt pleri que philoſophum ſenem, atque podagricum ad tibiæ modos ſaltantem, miſerabili cum pudore conſpexerint, vnde illi maturatũ vitæ exitum conſtat. Perijt in patria nocturno itinere refrigeratus, quum ſerò è Sinueſſa redijſſet, obortis ſcilicet tonſillis, quæ fauces obſederant, ea ipſa nocte Etruriæ admodum funeſta, qua Alexander Medices, in lecto turpiſsimè confoſſus interijt. Galeacius Florimontius quum præceptori vrnam poneret, hoc carmen inci di iuſsit.

Incerti.

*Dum lapidi titulum mœrens Galeacius addit,*
*Et triſti curat funera cum gemitu:*
*Si quis honos tumuli: non hoc tibi, Niphe, ſupremum,*
*Sed patriæ, & miſero ſtat mihi munus, ait.*
*Næ vis meliore tui tu parte: leuamen*
*Luctus nos medijs quærimus in lachrymis.*

Marci Antonij Flaminij.

*Qui docuit rerum Niphus cognoſcere cauſas,*
*Non rerum oblitus hoc iacet in tumulo:*
*Sed cœlo meliore ſui cum parte receptus,*
*Nunc gaudet melius diſcere quàm docuit.*

Latomi.

*Apagete vos, Philoſophiam qui tetricam*
*Putatis: & boni indigam*
*Lepôris, ebriæ horridamq; Cypridis.*
*Quid? Niphus an non melleus,*
*Perplexa ſuetus inter enthymemata,*
*Et ſyllogiſmos frigidos*
*Narrare ſuaues, Atticasq; fabulas:*
*Multumq; riſum ſpargere?*
*At quàm venuſtum hoc: ſeptuagenarium*
*Quòd vndulatis paſsibus,*
*Et curioſo, flexuoſoque capite*
*Saltare coràm cerneres,*

Modò

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Modò Dorium, modò Phrygium, vel Lydium:*
*Amore ſaucium graui?*
*Tractare ſic philoſophiam inuiſam, arbitror*
*Summi fuiſſe philoſophi.*

# Ioannes Ruellius.

RVELLIVS in vrbe Sueſsionum natus, quum ſuſceptis liberis vxorem extuliſſet, abdicata medendi arte, ſacerdotium in templo Deiparæ Virginis Lutetiæ Pariſiorum, Poncherij antiſtitis liberalitate promeruit, totumque id otium optimis literis, vt fortunis auctum decebat, impendit: non ignobili quidem gloriæ prouentu, quum eruditionis authoritate Budæo proximus eſſet, & Latini ſermonis nitida puritate ſuperior haberetur, vt præclarè indicat Dioſcorides in Latinum è Græco emendatè traductus. Leguntur libri aliquot probè, fideliterque tranſlati de Mulomedicina, & Actuarij medici volumen de Vrinis: ſed proprio vſus ingenio libros tres de natura ſtirpium perſcripſit, Theophraſtum in multis, & Plinium eleganter æmulatus. Extant quoque ſingulari diligentia tranſlati è Græco quinque libri de Agricultura, ex viginti qui nomine Conſtãtini circumferuntur: reliquos Coroneus Gallus vertiſſe dicitur: ſed Cornarius Germanus expedita facundia celeber, vniuerſos viginti Latinitate donatos nuper publicauit. Erat Ruellius natura modeſtus & lenis, vultu multo rubore ſuffuſo, & reſimis naribus, ſtatura verò mediocri. Sexageſimo ætatis anno vita functus eſt, paulo antequã rex Franciſcus niuoſas Alpes traijceret, vt copijs ſuis Cæſarianorum impetu perculſis fortiter opem ferens, Subalpina oppida ſummotis hoſtibus in fide confirmaret: vt inde in ſpem inauſpicatæ pacis induciæ pararentur.

Dionyſij Carronij.

*Hic ſitus eſt, in quo viguit medicina, Ruellus*
*In quo naturæ notitia, atque poli:*
*In quo prima fuit dos, Graium vertere ſcripta*
*In Latium, ac Latio ſcribere digna Ioue.*
*Olim erat affinis, nunc eſt conuiua Deorum,*
*Præmiaq; illa ſui grata laboris habet.*

Latomi.

*Hic veſter ille eſt, Galle, Ruellius:*
*Mentis tam acuto lumine præditus,*
*Perinde vultum noſſet vt ætheris,*
*Seu læta nobis, ſeu mala plurima*
*Cordis receſſu conderet intimo:*
*Ac ſi fuiſſet ſenſibus omnibus*
*Coniunctus aſtris: & reor hercule.*
*Nam quæ reliquit ſcripta ſat arguunt,*
*Noſtris bonis tam commodum & vtilem,*
*Aut eſſe Diuum, aut munere proximum.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Antonius Tibaldeus.

HIC primus ferè poſt Petrarcam ſupra æmulantes Seraphinum atque Manutium, planè extinctum Etruſci carminis decus excitauit, vſque adeò grata auribus alternantium numerorum ſuauitate, vt quum expeditis vbique eius iucundæ facultatis illecebris, in amatarios luſus Principum aulas perambulaſſet, edita, vel ſurrepta eius carmina à viris pariter & fœminis ad citharam cantarentur. Sed tantam mox famam feliciore orti ſidere Bembus, & Syncerus æternis carminibus oppreſſerunt. Agnouit ille tanto perſtrictus fulgore, ingenij ſui Fortunam, atque ideo ad Latina carmina ſe cõuertit, quum in his ad genium non inſulſa vena reſponderet. Sed factus grandæuus ſenex, ridente vrbe Roma carminum ſuorum Etruſcorum exequijs interfuit: ita hercle vt euaneſcentis antiquæ laudis magnam partem redimeret, quum Epigrammata multo Latino ſale, leporeque conſperſa ineſpectatus edidiſſet. Perijt in via lata octogenarius ſenex, firmiſsimo corpore & celſa proceritate ſemper erecto, ſtranguria cruciatus adeò grauiter, vt ex atra demum bile ſeipſo factus amarior, ſæpe nec inſulsè delirare videretur, quum ianua feneſtriſque penitus occluſis, Carolum Cæſarem ex Africa relato inſigni triumpho, ad eius limen tranſeuntem ſpectare noluerit: quòd eum minimè iuſtum Imperatorem putaret, qui ſub fide publica captæ deletæque Vrbis ſcelus, quo maieſtas eius vel extra culpam ſuggillari potuit: decumatis legionibus minimè vindicaſſet: quaſi non ſatis fuerit, in tantæ cladis ſolatio Borbonium, Dorbinum, Moncatam, & Aurantium, quatuor ſummos Duces, & patrati facinoris authores, ſingulis ictos fulminibus, vltorem magno numine ſpectauiſſe.

### Colæ Bruni Meſſanenſis.

*Quæ ripis te ſæpe ſuis ſtupuêre canentem*
*Eridanus, Tyberiſque: parens ille, hic tuus hoſpes,*
*Credibile eſt, vates Antoni, nunc quoque campis*
*Te canere Elyſijs, turba admirante piorum.*

### Latomi.

*Certè non modicam merêre laudem*
*A rara ingenij tui æquitate,*
*Antoni numeris poeta Thuſcis.*
*Qui palmam tribuens, tuaque arena*
*Cêdens poſterioribus poetis:*
*Viuus, ac hilaris tuis dediſti*
*Muſis inferias, quaſi exoletis.*
*Sed quem ob ingenij tui lepôrem,*
*Feſtiuumque animum, bonæ Camœnæ*
*Scribendis Epigrammatis Latinis*
*Immortale tibi dedêre nomen:*
*Vt iam ſis numeris vtriſque felix,*
*Vnis candidus, alteris venuſtus.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Eraſmus Roterodamus.

ERASMVS Roterodamus ex Inſula Batauorum, perpetuis eruditæ laudis honoribus extollendus videtur, poſtquam ætatis noſtræ ſcriptorum propè omnium decus, ingenij fertilitate ſuperauit. Is ab adoleſcentia, pio religioſi animi decreto, ad cucullatos ſacerdotes ſe contulit, tanquam humana deſpiceret. Sed non multo poſt pertæſus intempeſtiuæ ſeruitutis, votique temerè ſuſceptæ, ea ſacrati ordinis ſepta tranſilijt, vt ad excolendum ingenium planè liber, per omnia Europæ gymnaſia vagaretur. Contendebat enim cura ingenti ad ſummæ gloriæ faſtigium, ad quod literarum omnium cognitione perueniri poſſe intelligebat, quum iam ad arcana cuiuſque doctrinæ, infinita lectione, inuſitataque memoria penetraſſet. Edidit Moriam, atque indè primam nominis famam longiſsimè protulit, imitatione Luciani ſatyræ pungentes aculeos paſsim relinquens, omnium ſcilicet ſectarum actionibus ad inſaniam reuocatis. Opus quidem ſalſa aſpergine periucundum, vel grauibus, & occupatis: ſed ſacrato viro prorſus indecorum, quum diuinis quoque rebus illuſiſſe videretur. Sed maturè demum, quòd eius intemperantiæ malè audiendo pœnas daret, ſanctiores literas complexus eſt, tanta robuſtiſsimi ingenij contentione, vt vertendo Græca & commentarios excudendo, plura quàm quiſquam alius volumina publicauit. Verum ſe ipſo haud dubiè cunctis admirabilior futurus, ſi Latinæ linguæ conditores grauiter imitari, quàm feruido properantique ingenio indulgere maluiſſet. quærebat enim peculiarem laudem ex elocutionis atque ſtructuræ nouitate, quæ nulla certa veterum æmulatione pararetur, vt in Ciceroniano non occulti liuoris plenus oſtendit. Tanta enim erat naturæ fœcunditas, vt plena ſemper ac ideo ſuperfœtante aluo, varia & feſtinata luxuriantis ingenij prole delectatus, nouum aliquid quod ſtatim ederetur, Calcographis tanquam in[illegible]entis obſtetricibus parturiret. Obijt apud Heluetios Baſileæ, ſeptuageſimum excedens ætatis annum, quum Carolus Cæſar in Prouinciam irrumpens, ad aquas Sextias, Franciſco Galliæ Regi graue bellum intuliſſet.

Incerti.

*Theutona terra ſuum quum miraretur Eraſmum,*
*Hoc maius protulit dicere, Nil genui.*

Ioannis Secundi Hagienſis.

*Defunctus vita, longiq; laboribus æui,*
*Hac ſitus eſt tandem doctus Eraſmus humo,*
*Quem licet in ſera rapuerunt Fata ſenecta,*
*Et vitæ ſaturum ſopijt alta quies.*
*Nos tamen hunc velut immaturo funere raptum,*
*Flemus, & effuſis diffluimus lachrymis.*
*Ille igitur perijt, & quondam illa illa diſerta,*
*Et dulci manans nectare lingua tacet.*
*Ingeniumq; ſagax, & amans virtutis, & æqui,*
*Omnia ſub paruo condita ſunt tumulo.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Illum igitur canos virtus lacerata capillos,*
*Et Charites lugent, luget & ipſa Fides.*
*Collectasq́; roſas Permeſſi ad flumina Nymphæ*
*Inſpargunt ſacro Pierides tumulo.*

## Iani Vitalis.

*Lubrica ſi tibi mens fuit, & ſpinoſior æquo,*
*Ingenium certè nobile Eraſme fuit.*
*Felix ſi miſtas labruſcas dulcibus vuis,*
*Prodiga deſiſſet vinea ferre tua.*
*Barbarie è media præclarum ſidus haberent,*
*Et te Varronem tempora noſtra ſuum:*
*Hanc tamen inſcriptã his titulis poſuêre columnam,*
*Iactura hîc laudum publica facta fuit.*

## Gilberti Cognati.

*Magnus Roterodamus ille noſter,*
*Hæc quo ſecula neminem tulerunt*
*Maiorem, neque priſca clariorem.*
*Norunt tempora, nec cui futura*
*Parem poſteritas habebit: ecce*
*Sub hoc marmore mortuus quieſcit.*

## Viti Coppi Seleſtadienſis.

*Lachrymarum, te rogo, iam ſiſte riuulos*
*Viator, & dulcem quietem floribus*
*Orna, tumulum Sabæo thure confouens,*
*Vixi ſatis, Fati peregi tempora:*
*Non ocio, ſed duris me laboribus*
*Vnus, quò plurimis prodeſſem ſubdidi.*
*Sic docta primùm bella geſſi Palladis,*
*Vt me ducem mirata ſit Germania,*
*Suum me ſæpius Ciceronem dictitans:*
*Tandem ſacris literis ſum immortuus.*
*Hac Fata lege ſubire, an non eſt viuere?*
*Quæ donari, niſi forſitan mori putas:*

## Simonis Vallamberti.

*Hoc quanquam tumulo mortale cadauer Eraſmi*
*Mors claudis, id fermè eſt nihil.*

Non

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Non huius virtus, ſpes, fama, ſcientia, poſſunt*
*Claudi. quid, ô Mors hîc habes?*

Ioannis Morelli.

*Corpus humo, ſuperis animam, dat nomen in aeuum*
*Lex, pietas, virtus Roterodame tua*

Latomi.

*Theutona terra ſuum quum miraretor Eraſmum,*
*Hoc maius potuit, dicere; Nil genui*
*Quippe Deos inter, cœlo ridente, relatum*
*Ipſe ſuum dixit Iuppiter eſſe genus.*

Eiuſdem.

*Qui paucos habeas pares, Eraſme,*
*Multorum inuidiam feras neceſſe eſt.*
*Iſtos quòd logodædalos ab Vrbe*
*Vnos præ reliquis, in immerentis*
*Manes ſic videam ſtyli cruentam*
*Stringentes aciem, perinde tanquam*
*Stupraſſes Charitum nouem ſorores.*
*Indignum patria eruditione, &*
*Aſſerto titulo elegantiarum.*
*Cauſam ſcire velim, quid v..t illos,*
*Et quid tantopere tumultuentur.*
*Sed quid diſſimulo? ſat æſtus illam*
*Prodit feruidus & malignus. ille eſt,*
*Ille inquam eſt Ciceronianus, ille*
*Vno qui Cicerone ſtare, rectè*
*Latinam negat elocutionem:*
*Et damnat ſtolidi laboris omneis,*
*Qui ſuperſtitionem non ferenda*
*Vno nonniſi Tullio loquuntur.*
*Hæc illa eſt Helene, viri elegantes*
*Armis quæ Latium per vniuerſum*
*Vindicanda videtur in Batauûm:*
*Vmbram ſcilicet, atque inane nomen:*
*Tanquam quo genito Allemanis ora eſt*
*Vano ridiculè ſoluta partu.*
*At ſi tam modicas ob has labr...as*
*Perit vinea tota, ô vrbs Quiri..*
*Scribemus titulo hoc tibi col...nam*
*Quæ quondam meritos ſuo ſ...is,*
*Ornabasque viros honore, laudum*
*Iactura es modò facta publicarum.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Rutilius.

RVTILIVS è Colonia oppido Vicentini agri, quum erudito diligentique eius ingenio Nicolaus Ridulphus Cardinalis familiariter vteretur, ex vmbratili iure conſulto flamen euaſit, quod nunquam in forum prodijſſet. Edidit enim volumen ab induſtria atque facundia commendatum, de his qui florente Romano imperio iuris intelligentia præſtiterunt: quo laborioſo elegantique opere, Ciceronem obiter à multa mendorum labe repurgauit. Maiora porrò editurus videri potuit, niſi immatura mors lucubrantem Venetijs oppreſsiſſet. Amici autem poetæ de eo tanquam conſpicui ſepulchri honore, ex humili fortuna facilè carituro, hæc carmina decantarunt.

### Petri Curſij.

*Vt mors Rutilium ſenſit tot reddere vitæ,*
*Styx vale, ait, vitæ iam patefacta via eſt.*

### Croti.

*Exciri vt Legum latores ſenſit ab Orco*
*Inuida Mors, fuſis protulit hæc lachrymis:*
*Quàm verè eiuſdem eſt inferre, auferréque leges,*
*Lege horum cum lex penè refixa mea eſt.*

### Iani Vitalis.

*Viuitur in chartis Rutili felicius ipſis,*
*Cum videant mortem marmora & æra ſuum:*
*Abſumpſit priſcos legum Libitina peritos,*
*Tu facis in ſcriptis viuere & eſſe tuis.*
*Quàm meritò illi igitur dicent, æternior ære*
*Eſt tua, & æternis pagina marmoribus.*

### Latomi.

*Qui tot Rutilium vitæ aſſeruiſſe videret,*
*Quos antè in libro cederet ipſe ſuo:*
*Huic temerè, Ridulphus ait patronus, honorem*
*Marmoris, & longos contulero titulos.*
*Ille quidem rectè, nec nos non rectius, illa*
*Sarcimus gratis qui tibi carminibus.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Gulielmus Budæus.



NVLLI mortalium ætate noſtra perpetuis lucubrationibus aſpirante fortuna, cùm Græcæ tum Latinæ eruditionis maiores opes contigerunt, quàm Gulielmo Budæo, non Galliæ modò, ſed totius etiam Europæ longè doctiſsimo. Natus Lutetiæ præcellentium diſciplinarum celebri domicilio, dum perennem ſpectaret laudem, & rei familiaris fortunas honoresque ingenio ſuo, & ſperata gloria viliores arbitraretur, ſexaginta amplius ætatis annos in ſtudijs conſumpſit: ita vt ſummæ eruditionis libro de Aſſe, alteroque in Pandectas edito, ac infinita demum lectione confectis Commentarijs, quibus Græcè & Latinæ facultatis ornamenta comparantur, nulli communicata laude, æquales omnes doctrinæ auctoritate ſuperarit. Sed qui in memoriæ theſauris tantas diuitias miro digeſtas ordine continebat, veluti occupatus in apparatu, candidioris



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

eloquentiæ cultum neglexiſſe exiſtimatur. Id enim in toto ſtudiorum negotio longè grauiſsimum, nemo niſi irrita ſpe ſenectuti vnquam reſeruauit. Adaugebant nominis famam in perſpicuo animi ſanctiſsimi mores, quibus aliquantò vberiora rei familiaris incrementa, quàm pertinaci diligentia, vel honoris ambitione, educatis feliciter liberis reliquit, quum rex Franciſcus ſubita liberalitate inclytus, optimi viri otium foueret, & ipſe ſupplicibus libellis præpoſitus, honeſtiſsimo prouentu ditaretur. Sed vir alioqui incorrupta mente compoſitus, Eraſmianæ obtrectationis ſpicula ferre non potuit, quum facilè indignabundus, bile Gallica redundaret: ille autem contumaci odio incenſus, tela veneno Batauo delibuta iacularetur. Septuageſimum tertium agentem annum oppreſsit febris, longinquo & æſtuoſo ad Armoricum Oceanum itinere concepta. Piè autem tranquilleque vita excedens, condito teſtamento, omnes honores funeris & tumuli penitus abdicauit, ita vt quum numeroſa proles eum lugeret, noctu tumularetur. Fato functus eſt, non multò poſt celebres illos hoſpitales triumphos, quum Cæſar ab Hiſpania per mediam Galliam in Belgas profectus, gentem bello feſſam, feſta paſsim hilaritate in ſpem pacis erexiſſet.

Iani Vitalis.

*Qui ſanctum ſimul, & ſimul diſertum*
*Exquiris ſapientiæ magiſtrum,*
*Vltra quid petis? hìc iacet Budæus.*

Salmonij Macrini.

*Budæus voluit media de nocte ſepulchro*
*Inferri, & nullas prorſus adeſſe faces:*
*Non factum ratione caret, clariſsima quando*
*Ipſe ſibi lampas, luxq́; coruſca fuit*

Theodori Bezæ.

*Vnus Budæus terraŋq́; poloſq́; hominesq́;*
*Deuinxit magna prouidus arte ſibi:*
*Cœlo animam, terræ corpus donauit habendum:*
*At cerebri nobis dona ſuperba dedit.*
*Sic deceſſit inops, nam nil ſibi reliquerat ipſe,*
*Verum hæc paupertas vnica vincit opes.*

Eiuſdem.

*Budæum fleuêre homines, plorauit & aer,*
*Budæus gelidis eſt quoque fletus aquis:*
*Sic fleuêre homines, vt plena volumina mœſtis*
*Carminibus quiuis bibliopola terat.*
*Sic aer luxit, conſumptis vndique nimbis,*
*Vt etiam quas plueret non reperiret aquas.*
*Flumina ſic flerunt, vt quà modò nauis abibat,*
*Currat inoffenſis ſicca quadriga rotis.*
*Reſtabant cœlum & tellus, communis vt omni*
*Quamlibet immenſo mœror in orbe foret:*
*Sed quum cœlum animam Budæi, terra cadauer*
*Poſsideat, quæſo qua ratione fleant?*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Simonis Vallamberti.

*Extinctum luxit Budæum mœſtus Apollo.*
*Nomen in extinctum non meruiſſe putes?*

Latomi.

*Budæus columen, decusq́; Graiûm:*
*Budæus Latiæ corona linguæ:*
*Budæus dubij lucerna iuris:*
*Budæus pater elegantiarum,*
*Et fons totius eruditionis:*
*Budæus patriæ iubar coruſcum,*
*Regis delicium ſui, ſuæq́;*
*Tempeſtatis honos, lepor, voluptas,*
*Hic terræ exuuias reliquit, orbi*
*Famam, aſtris animam. Viator ito.*

# Hieronymus Aleander.

DETVR hoc incomparabili inuſitatæ memoriæ felicitati, quæ in Hieronymo Aleandro ſupra cuiuſque vel antiqui ſeculi captum admiranter excelluit, vt eius ex vero depicta facies, vel in pudenda ingenij ſterilitate inter fœcundiſsimas imagines conſpiciatur, quando nihil eum cuncta volumina cupide perlegentem, vel rerum vel verborum omnino ſubterfugerit, quin ſingula memoriter, vel à multis annis longo ſepulta ſilentio recitaret. Latinæ enim Græcæque literæ, quum ſæpe alacriter iactabundo, pro vernaculis haberentur, Hebraicas admirantibus Iudæis, & ſuæ ſtirpis cum facilè credentibus ſolertiſsimè didicit. His ingenij dotibus inſignis, quum Lucretiæ Pariſiorum Græcè docendo honorem præfecturæ gymnaſij concordi ſtudioſæ iuuentutis acclamatione eſſet conſecutus, veniſſetque in Vrbem, Leo Pontifex grauiſsimus ingeniorum æſtimator, eum extulit, miſitque legatum in Germaniam, vt Lutheranæ doctrinæ initia diſputatione tollerentur. exinde Clemens Brunduſinum caſu potius quam animi iudicio Antiſtitem fecit. Paulus autem veræ virtutis eruditus exornator, legit in Senatum. Lætatus eſt ea purpura per annos quinque, peruaſurus haud dubie ad exactam ætatem, niſi nimia tuendæ valetudinis ſolicitudine intempeſtiuis medicamentis ſibi hercle inſanus & infelix medicus viſcera corrupiſſet. In toto autem vitæ curſu, extemporanea facundia delectatus, ſerò ingenij labem ſenſit, quum ad meditatam ſcriptionem purior eloquentiæ vena, vti externo & præcipiti quodam luto perturbata minimè proflueret, ita ſpe melioris ſtyli miſerè deſtitutus, quum vaſtum opus vaſta illa memoria aduerſus ſingulos diſciplinarum profeſſores agitaret, Romæ interijt fato ſuo vehementer indignatus, quum ſe præreptum anno vno ante climactericum inter anxia ſupremaque ſuſpiria quereretur. Tumulatus eſt in æde Tranſtyberina diuo Chryſogono dedicata, ea teſtamenti lege, vt ſepulchrum Græco carmine à ſe compoſito, quum reliquis titulis inſcriberetur, quo nouas clades imminere nobis ominatur in hanc ſententiam:

*Exceſſit è vita ærumnis facilisq́; lubensq́;,*
*Ne peiora ipſa morte dehinc videam.*

Iani Vitalis.

*Non tibi literulis ornare Aleandre ſepulchrum*
*Fas erat, at vaſtàm ponere Pyramidem:*
*Steſichorosq́; inter celebres, ſanctosq́; Platones*
*Ex auro ſolidam ſtare tibi ſtatuam:*
*Vidimus in te vno diuinæ inſignia mentis,*
*Et plus quàm humani par decus ingenij.*
*Nunc perijt tecum, quantum vix ſecula mille,*
*Quantum vix præſtent millia mille hominum.*

Cælij Calcagnini.

*Incertum eſt Aleander vtrum te dicere malim,*
*Quum Græcum atque Italum te tua lingua velit.*
*Septem vrbes Græcas natalem ingentis Homeri*
*Immenſis ſtudijs aſſeruiſſe ferunt.*
*De te lis maior, quum iam te vendicet omnis*
*Attica terra ſibi, Romula terra ſibi.*

Latomi.

*Non tibi pro tumulo hoc, quantumuis nobile, marmor*
*Ponimus: hoc cineres, aridaq́; oſſa tegat:*
*Non longos titulos: ſubiectos caſibus ipſos,*
*Et quibus eraſis ipſe ſuperſtes eris:*
*Sed totam Europam, quam docto in nomine oberras,*
*Quæq́; tuas laudes vix Aleandre capit.*

# Lampridius.

LAMPRIDIVS Poeta Cremonenſis, quum in colle Quirinali ſchola Græcorum adoleſcentium inſtituente Laſcare coaleſceret, docendi munus ſuſcepit exercitatione perutili, quòd argumēta propoſita vtriuſque linguæ verbis & figuris ad mutuam ingeniorum æmulationem verterentur. Sed erepto Leone, & ſubinde euerſis optimarum literarum ſtudijs, Patauium ſe contulit, vbi per aliquot annos domi ex collaticia mercede delectornm iuuenum Græcas & latinas literas maiore quæſtu, quàm gloria profeſſus eſt. Nunquam enim (vti erat) elato contumacique ingenio adduci potuit, vt publicum ſuggeſtum conſcenderet, ne cum eloquentioribus, vel minus eruditis, ambiguæ exiſtimationis aleam ſubiret. Nouiſsimè Federicus Gonzaga, vt filio præceptor eſſet, Mantuam acciuit. In eo munere, ſeptenne diſcipulo, & vix deguſtata principis liberalitate minimè ſenex lateris dolore ſurreptus eſt. Scripſit odas æmulatione Pindarica eruditas & graues, ſed ob id pleriſque minus iucundas, quòd priſci, imitationeque difficilis poetæ curſum, tanquam inflati & tortuoſi fluminis, ſecutus inſolentior & durior Latinis auribus euaſerit. Fit enim monente Flacco, vt quæ optima

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

optima & excellenter Græcè ornata intelliguntur, vel paribus numeris tracta-ta ad genium Latinæ ſuauitatis minimè reſpondeant.

Myrtei.

*Ergo ego nobilium ô genitrix atque hoſpita vatum*
*Mantua, quòd nimium vicina Cremona Maroni*
*Obfuerit, ſolus pœnas abs te ipſe repoſcor?*
*Ille ſoli tantùm damnum tulit: aſt ego de te,*
*Mantua, deq́ tuo meritus bene principe, cara*
*Pro patria & vitam, & cineres tibi reddere cogor.*

Aſpaſiæ amicæ ſepulcro inſcriptum in templo ſancti Andreæ.

*Lampridium carum Muſis hîc Mantua ſeruat.*

Marci Antonij Flaminij.

*Perdideras Varium, noſtro ſed tempore laudes*
*Lampridius renouat docta Cremona tuas.*
*Ille Sophocleo cantabat digna cothurno,*
*Iſte canit lyricos Pindarico ore modos.*

Latomi.

*Mantua vicinæ propè liuida honore Cremonæ*
*Vt quæ Lampridio vate ſuperba foret:*
*Adſe pellectum, & properata in Fata vocatum,*
*Hac viſa eſt querulum voce leuare virum:*
*Munus erat noſtrum ſimileis genuiſſe Maroni:*
*Naſci hîc debueras, ſiue Poeta mori.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Gaſpar Contarenus Cardin.



GASPAR Contarenus patritij ordinis Venetus, ab inſigni memoria illuſtrique doctrina, & corporis ac ingenij caſtitate mirabilis, ad Rempub. ita acceſsit, vt grauitate iudicij conſummatæ prudentiæ Senatoribus æquaretur: atque inde maturata maximarum legationum munera capeſſeret, non ætatis quidem, ſed vna virtutis prærogatiua commendatus. Iuuenis enim tanquam perfectus Peripateticus Ariſtotelem à calumnia defenderat, quãquam modeſtiæ cauſa ſuppreſſo nomine, aduerſus Pomponatium præceptorem, quum ille, ſi non inſano, impio tamẽ conatu animas noſtras interire cum corpore, ex Ariſtotelis ſententia perſuadere libro edito contendiſſet. Appulit exinde ingenium ad ſacras literas adeò diligenter, vt ad normam Chriſtianæ diſciplinæ librum, de optimi Antiſtitis officio publicaret. In ipſo autem ciuilium honorum curſu, honeſtum deco-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

decorumque ſibi & patriæ, de Republica Venetorum volumen edidit, vt inſtitutæ leges ex antiquo more ciuitatis in mandandis honoribus ad memoriam poſteritati traderentur. Nouiſsimè Paulus pontifex auguſta illa generoſi iudicij maturitate facilè ſuperiores principes antecedens, nihil tale expectantem in ſenatum legit, purpuraque ornatum in Germaniam legatum miſit, vt quorundam animi concepta Lutheri ſententia ſalubri adducto dogmate ſanarentur. Sed poſt eam rem caſſo labore ſemper actitatam, quum in vrbem rediſſet, Legatus Bononiæ creatus eſt, in eoque munere, paucos poſt menſes, nondum ſexagenarius, rapida febre interijt. Sepulchrum eius lateritij operis, in æde diui Proculi ad læuam, cum hoc carmine conſpicitur.

Marci Antonij Flaminij.

*Contarene tuo docuiſti Magne libello,*
*Extinctis animas viuere corporibus:*
*Ergo iure tui viuunt monimenta libelli,*
*Et viuent ſeclis innumerabilibus.*

Eiuſdem.

*Deſcripſit ille maximus quondam Plato*
*Longis ſuorum ambagibus voluminum,*
*Quis ciuitatis optimus foret ſtatus:*
*Sed hunc ab ipſa ſeculorum origine*
*Nec vlla vidit, nec videbit ciuitas.*
*At Contarenus optimam Rempublicam*
*Parui libelli diſputationibus*
*Illam probauit eſſe, quam milleſima*
*Iam cernit æſtas Hadriatico in mari*
*Florere pace, literis, pecunia.*

Iani Vitalis.

*Contarene tibi pietas dum dia parentat,*
*Et queritur longo amiſſum Reſpublica luctu,*
*Ite, ait, illuſtres animæ vitalia ſecla*
*Heroum, & veſtro athletæ exornatæ ſepulchrum*
*Floribus: hic veris docuit rationibus eſſe*
*Immortalem animam ſumma de mente creatam.*

Latomi.

*Lectus es in Venetum, Romanum deinde Senatum,*
*Firmior ingenio qui ſtat vterque tuo.*
*At nunc cœleſti fulges trabeatus in oſtro,*
*Sceptra magiſtratus æthereiq́ue geris.*
*Nam cur non capias defenſi præmia cœli,*
*Quum non ingratos ſenſeris hic homines?*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Henricus Cornelius Agrippa.



QVIS in Henrici Cornelij Agrippæ ſedato vultu portentoſum ingenium latuiſſe crediderit? Hic enim immenſo captu, vaſtaque memoria, ſcientiarum artiumque omnium rationes, arcanaque intima & ſummos apices complexus diſciplinas conuellit, religiones in dubium reuocat, ſtudiorumque omnium labores feſtiua declamatione deridet: eoque vehementius atque validius, quod tantæ nouitatis argumenta ſacrarum literarum auctoritate confirmentur, quaſi feliciore opere illudentis ingenij tantas opes oſtentare nequiuerit, niſi vir educatus in literis, & à Cæſare eruditionis ergò equeſtris ordinis dignitate honeſtatus, importunos arietes inanis eloquentiæ æternis optimarũ literarum arcibus admouiſſet. Sed adhuc cum plauſu à multis exceptum volumen de vanitate ſcientiarum, aliũ addidit librũ de Occulta philoſophia, curioſis admodum peſtilentem,

quod

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

quod opus ex cenſura Chriſtiana, edicto vetitum apud vnos impios reperitur. Sed in vtroque ſerio, pariter & ioco grauior atque lepidior, ac ideò forſitan æternus appareret, niſi puriorem eloquentiam non ſecus ac reliquas facultates infelici vel inepto iudicio contempſiſſet. Exceſsit è vita nondum ſenex apud Lugdunum ignobili & tenebroſo in diuerſorio, multis eum tanquam Necromantiæ ſuſpicione infamem execrantibus, quod Cacodæmonem nigri canis ſpecie circumduceret, ita vt quum propinqua morte ad pœnitentiam vrgeretur, cani collare loreum magicis per clauorum emblemata inſcriptum notis exoluerit, in hæc ſuprema verba iratè prorumpens, Abi perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti: nec vſquam familiaris ille canis, ac aſsiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini deſertor, poſtea conſpectus eſt, quum præcipiti fugæ ſaltu in Ararim ſe immerſiſſe, nec enataſſe, ab his qui id vidiſſe aſſerebant, exiſtimetur.

### Ioannis Baptiſtæ Poſſeuini.

*Viuens quem cernis, ne te fortaſſe moretur*
*Os placidum, Stygij rex fuit iſte lacus.*
*Quare etiam cuſtodem habuit dum viueret Orci,*
*Cui nunc in tenebris præda daret comitem.*
*Aſt hic ſi ingenium moderari ſciſſet, ad auras*
*Tantum iſſet, quantum Tartara nigra ſubit.*

### Latomi.

*Hunc tumulum haud Charites ſeruant, ſed Erynnies atræ:*
*Non Muſæ, at ſparſis anguibus Eumenides.*
*Colligit Alecto cineres, miſcetq; aconito,*
*Grataq; dat Stygio liba voranda cani.*
*Qui quod erat viuum comitatus, atrociter Orci*
*Nunc quoque per cunctas raptat agitq; vias:*
*Inſultatq; adeò, & Furias quia nouerat omneis,*
*Salutat, iniungit nomine quamque ſuo.*
*O miſeras arteis, quæ ſolæ ea commoda præſtant,*
*Accedat Stygias notus vt hoſpes aquas.*

## Baptiſta Pius.

NON erit vllo ſeculo, agreſtibus præſertim grammaticis in gratum Pij nomen, vrbanis autem & elegantibus viris nunquam iniucundum. robuſto enim ingenio, tenacique memoria præualidus, doctiſsimi famam meruit, quum obſcuros authores interpretandos ſuſcepiſſet, inepta quidem Beroaldi præceptoris æmulatione, cuius in Aſinum Apuleij commentationes exierant. in ijs fuere Fulgentius, Sidonius, & è poetis Plautus, Lucretius, & Valerius Flaccus. Exoleta



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

enim rancidæ vetuſtatis vocabula delectu inſano ſectabatur, admirante quidem diſcipulorum inſcia turba, quum planè à non inſulſiſsimis rideretur. Siquidem eius ſermo ſtylusque, Oſcorum & Aborigenum linguam pingui atque aſpera nouitate referebant, quam nonnulli laſciuè ludentes diſcere percuperent, niſi contagioſi vitij periculo terrerentur. factum autem breui eſt, vt ea obſoletæ & ridendæ paſsim elocutionis verba, tanquam portenta in ſcena tranſierint, confecta ſcilicet à lepidis ingenijs mirabili fabula: hæc enim impreſſa extat, qua ſuo habitu ſuoque idiomate blaterantis Pij perſona inducitur, ab obiurgante reprehendenteq; Priſciano meritas flagello plagas, puerorum malè diſcentium more, clunibus nudatis excipiens. Tum enim Phœdrus ad antiquæ pronunciationis decus Romanam iuuentutem glorioſo ſtudio reuocabat, quum ludis Capitolinis ſtupendo apparatu, miraq; felicitate Plauti Penulum per ingenuos nobilesque comœdos repræſentatis florentis quondam Vrbis fortuna edidiſſet, id expetente Leone, quod tum frater Iulianus à populo Romano ciuitate donaretur. Cæterùm Pius quadrato ingenio eos naſutorum rumores contempſit, ſua conſcientia profectò felix, quòd neminem ſe videre diceret, eruditi nomine dignum, qui de vi & tota facultate vel abſtruſæ lectionis interrogatus, præclarè & conſtanter prolato præſentis doctrinæ theſauro minimè reſponderet. Id enim ipſe vegeta rerum omnium, & in ſene quidem admirabili recordatione, tam probè quàm ſuperbè præſtare erat ſolitus. Sed vel ſerò ita exploſi ſtyli vitium agnouit, vt ſe totum ad Ciceronem reciperet, & multa in eo elucidando commentaretur. Eum poſtremò quum Bononiæ, Mediolani, & Lucę per quinquaginta annos docuiſſet, Paulus pontifex tanquam veterem ſuum familiarem in Vrbem acciuit: publicoque in munere defunctus eſt octogenarius ſumma temperaturæ firmitate aduerſus morbos inuictus. Contigit ei ſubitæ ac inexpectatę mortis leuiſsimum genus, quo diuinus Plato felix fuiſſe iudicatur: pranſus enim hilariter, & remota menſæ mappa ſubinde lectitans Galeni librum, in quo de ſignis propinquæ mortis agitur, deprehendit fatales in vnguibus maculas, & dixit: Ergo ſæua Parca inſtans, vitæ meæ filum commordet: nec multo poſt nullo acri, clementis vtique mortis, impetu concuſſus, in complexu Probi Priuernatis poetæ leniter expirauit. Tumulatus eſt in templo diui Euſtachij, his carminibus honeſtatus.

Leonardi Marſi.

*Ingenio tentaſſe Pius ſeſe omnia cernens,*
*Nunc repeto, dixit, Sidera: Terra vale.*

Antonij Vaccæ.

*Felſina quem genuit, ſtudijs conſumptus & annis*
*Ille poeta Pius bibliotheca loquens,*
*Hic ſitus eſt, qui cum priſcæ omnis gratia linguæ,*
*Et Plauti veteres interière ſales.*

Latomi.

*Qui nunc verborum botulos, & rancida ferta*
*Menſæ infers, ſtructor non adeò bonus es.*

*Igno-*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Ignoraſſe tui ſeculi Baptiſta palatum*
*Argueris, doctæ lautitiaſq; gulæ.*
*Qui velit has Oſcas tecum duglutiat eſcas:*
*Dulcibus aſſuetos mellea liba iuuant.*

# Franciſcus Arſillus.

FRANCISCVS Arſillus è Senogallia per triginta annos alternante ingenij libidine, Æſculapio filio patrique Apollini ſacra fecit, quum medicinam vti popularis & pedeſtris ordinis medicus, ad alimenta vitæ paſsim exerceret, & quotidiana ferè carminum fœtura lætaretur. Natura enim frugi, & aureæ libertatis cultos, Vaticanam aulam, & Potentium limina, contumaci quadam ſuperbia deuitabat. Scripſit appoſito carmine ad præſcriptum, Proloquia Hippocratis, & lepidum item libellum de Poetis vrbanis, mihi tanquam veteri ſodali dedicatum; quum Leone ingenijs liberaliter arridente, multi vndique poetæ illuſtres, nequaquam ad inanes ſpes in Vrbem confluxiſſent, & pulcherrimo quodam certamine à ſingulis in vna tantum ſtatuæ materia ſcriberetur, qua carminum farragine Coritius homo Treuir, humani iuris libellis præpoſitus, vti perhumanus poetarum hoſpes, ac admirator inclaruit, ea ſcilicet ſtatua inſigni marmorea, Aureliano in templo dedicata, inuitatiſq; vatibus, vt tria numina Chriſti Dei, & Matris, ac Auiæ vno in ſigno celebrarent. Sed Arſillus qui ſeſe artis præſidio aduerſus morborum contumeliam præmuniens vitam ſatis extenderat, intercute morbo oppreſſus, ſeptuageſimum ætatis annum ſuperare non potuit.

### Iani Vitalis.

*Carminibus noſtros celebraſti Arſille poetas,*
*Qualia dictarunt Phœbus & Aonides:*
*Nos memores grati officij tibi certa dicamus:*
*Myrtea Pyrmillæ munera grata tuæ:*
*Optamuſq; tibi ſedes, vbi ſancta piorum*
*Eliſios inter dicitur eſſe cohors.*

### Honorati Faſitelij.

*Ergo videmus lumine hoc ſpirabili*
*Caſſum iacere te quoque,*
*Vt plebe quiuis vnus è vili iacet,*
*Arſille, magno Apollini,*
*Nouemq; Muſis care, ſiue poculis*
*Præſentibus morbi graues*
*Eſſent leuandi, ſiue dulci carmine*
*Dicenda mater aurea.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Cupidinum, luſusq́ furtorum leues.*
*O vota noſtra inania:*
*Quid dura Fati non poteſt neceſſitas?*
*I, da lyram mihi puer,*
*Manuq́ funde proniore Cœcubum:*
*Nunc ſunt Lyæi munera,*
*Nunc plectra cordi, nunc iuuat lectiſſimo*
*Cinxiſſe flore tempora:*
*Sicci tenebris obſiti triſti in Styge*
*Fortaſſe cras ſilebimus.*

## Latomi.

*Siccine plebeios inter Franciſce iacebis,*
*Tanquam haud ſis alio dignior vmbra loco?*
*Immo iaces aliò. nec enim pateretur Apollo,*
*Cuius te viuum conſtat obiſſe vicem.*
*Vnde vel Alcinoi te cultos credimus hortos*
*Incolere, Heſperidum flauicomumúe nemus.*
*Vel certè Aonio memoras in vertice faſtum,*
*Nunc etiam Dominæ, nequitiasq́, tuæ.*
*Quæ quia delectat gracileis audire Camœnas,*
*Te ſocium Aſcræi conſtituere chori.*

MARIVS

# Marius Molſa.



MARIVS Molſa Mutinenſis, eximium atque habile ad poeticam ingenium à natura conſecutus, Latinis Elegis, & Etruſcis rhythmis pari gratia ludendo Muſas exercuit: tanta quidem omnium commendatione, vt per triginta annos, qui Romæ Mecœnatis nomen tulêre, inſigni liberalitate, ſtudioque adiutum adipiſcendis honoribus efferre contenderint: prægrauante ſemper eius Genio, quum rediuiuis toties amoribus occupatus, par ingenio ſtudium ſubtraheret, neque habitu, vel inceſſu vllóue nobili commertio carminum famam tueretur: fœdè prodigus, honeſtique neſcius pudoris, neglectum rerum omnium ad innoxiæ libertatis nomen reuocabat vſqueadeò ſupinè, vt ſummæ laudis, & clarioris Fortunæ certiſsimam ſpem facilè corruperit. His moribus, quum Venerem, quàm Mineruam impenſius coleret, ab illa meritum pudendo contactu



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

miſerabilis morbi, quo periret venenum hauſit. Ab hac verò ſempiternam ingenij laudem retulit, non à iucundo tantum carmine, quo laſciuiſſe videtur, ſed pedeſtri etiam, grauique facundia, qua Laurentium Medicem, nefaria libidine antiquis ſtatuis noctu illuſtria capita detrahentem, apud Romanos ab ea iniuria dolore percitos accuſauit. Ea enim perſcripta oratione, Laurentium vſqueadeò pudore, & metu perennis probri conſternatum ferunt, vt atroci animo, quo inuſtam ignominiæ notam nouitate facinoris obſcuraret, interficiendi Principis, amicique ſingularis immane conſilium ſuſceperit: ſcilicet vt dijs inuitis patriæ libertas pararetur, vel ſi cuncta humanæ & fraternæ ſimul amicitiæ, hoſpitaliſque cubiculi ſanctiſsima iura tollerentur, nec Regum omnium ſalutis intereſſet, quum eo vno exemplo, omnis vel in arcano vitæ ſecuritas expiarit, dum ille altè ſtertenti, tanquam Tyranno parum nobili, ſi non ſceleſta manu, vitam eriperet.

Tryphonis.

*Qui lepido veteres æquauit carmine Molſa,*
*Hic iacet, ætatis maximus huius honos.*

Franchini Coſſentini.

*Molſa iaces, tua fama viget, tua ſcripta leguntur,*
*Felix qui potuit viuere poſt obitum.*

Marci Antonij Flaminij.

*Poſtera dum numeros dulces mirabitur ætas,*
*Siue Tibulle tuos, ſiue Petrarca tuos.*
*Tu quoque Molſa pari ſemper celebrabere fama,*
*Vel potius titulo duplice maior eris:*
*Quicquid enim laudis dedit inclyta Muſa duobus*
*Vatibus, hoc vni donat habere tibi.*

Latomi.

*Molſa tuos quicunque legit cordatior igneis,*
*Nec locuples, inquit, nec probus iſte fuit.*

# Albertus Pighius.

MAGNA hercle naturæ illudentis inuerecundia excellentem doctrinam cum illuſtri eloquentia coniunctam, ſi Chriſtiani ſcriptoris decus ſpectetur, multa infaceti oris truculentia opertam, in Alberto Pighio conſpeximus. Is Campo Batauorum vico editus, ſecutuſque Adriani pontificis Fortunam, quæ ex diſciplinis peregrè didicerat, Latini ſermonis elegantia feliciter exornauit: ita vt ſubtiliſsimarum ſcientiarum placita, & ſi quid durum, atque difficile ex ſacris literis nouitate rerum ac nominum ſcribentibus offertur, prudenter ac molliter explicaret. Sed in diſſerendo vultus Scythico more contuſus & enormis, & aſpero gutture vox educta, & grauiter reſonantis naſi tumultus, totam ferè ſapientiæ gloriam deformabant. Admirabili quoque cùm ingenij, tum manuum argutia excelluit, vtpote qui ærea inſtrumenta deprehendendis ſiderum curſibus, exa-

ctiſsime

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ctiſsimè fabricaret. Verùm in libro de Hierarchia quo veluti acutiſsimo gladio Lutheri cauſam iugulauit, ferè nemini conceſſam pietatis & doctrinæ laudem adeptus eſt. Quum id volumen commētaretur, vt direptam ab impijs ſacroſanctæ poteſtatis hæreditatem Romano pontifici aſſereret, eum è ſummo vitæ periculo certiſsimum Dei maximi numen eripuit. Bononiæ enim in celeberrima pompa, quum tranſeunte coronato Cæſare Carolo Quinto, pars lignei pontis iuxta Cæſarem turbæ pondere corruiſſet, Albertus tignorum, atque hominum ruina ita oppreſſus eſt, vt probitatis, ac inſtituti operis merito ſeruaretur. Obijt nondum ſenex in patrio ſolo, ſacerdotijs à Clemente, & Paulo liberaliter honeſtatus.

Myrtei.

*Qui extrema Batauûm profectus ora*
*Non bello ore, animo ſed omniumque*
*Præclarus ſtudio ſcientiarum*
*Pro Republica, & optima Quiritum*
*Sede, acer ſtetit hoſtis in Lutherum,*
*Albertus iacet hîc. Sacrum ſepulchro*
*Da thus maxime Pontifex & vndam.*

Latomi.

*Ne turba tumulum, Viator iſtum:*
*Sed aſta reuerenetr, & ſaluta*
*Sacratum cinerem viri ſacrati.*
*Ille eſt Pighius hoc loco ſepultus,*
*Aureis qui Batauas ita expoliuit,*
*Vt dicas ſapere Atticos lepôres.*
*Quare tam benè dormiat, precare,*
*Quàm doctè nitidéque, & eleganter*
*Defendit Latiæ decus tiaræ,*
*Et morem ſtatuit pium ſacrorum:*
*Vtro vt nomine debeant Latini*
*Plus illi addubitent: vtroque certè*
*Ingens promeritum viri fatentur.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Benedictus Iouis Nouocom.



QVO iuſto nomine te appellem, Benedicte Iouiꝰ qua ſatis digna cum laude te proſequar vix ſcio: amore ſiquidem naturaq́ue germanus frater, ſummo charitatis officio pater optimus, moderatus educator, & diligens in literis magiſter extitiſti, vt erga me orbatum patre, nec adhuc pubeſcentem, omne munus perfectæ virtutis adimpleres. Sed hæc aliĳ fratrib. fortaſſe plenius præſtiterunt: tu certè quod ad ſpem immortalitatis pertinet, quum patriam hiſtoriam atq; item res geſtas & mores Heluetiorum eleganter perſcriberes, ingenium meum, veri glorioſiq; itineris monſtrator, æmulatione domeſtica ſuccendiſti. Scilicet vt noſtrorum temporum hiſtoriam, cogniti orbis res geſtas complectentem, exordiri atq; perficere poſſe, te demum admirante, feliciter auderemus. Verùm hæc vna erit tua peculiaris Chriſtianæ modeſtiæ laus, quòd frugi contentus vita, ex nobili coniugio

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ſugio Iouiam familiam vetuſtate quàm fortunis clariorem, præclara ſobole amplificaſti. Supra id etiam felix, quod ambitioſè patria nunquam pedem extuleris, niſi vt Mediolani Demetrium Græcè profitentem pronũciationis cauſa audires, qui iam linguam nullo præeunte magiſtro didiceras. Indeq; perpetua vitæ innocentia ac animi tranquillitate æquatus ſummis Philoſophis, ad tertium & ſeptuageſimum ætatis annum perueneris, nihil morbis corpore affecto, vegetaq; ſemper illa incredibili rerum & nominum memoria, & integro intentoq; ardentis ingenij vigore, quo dudum centum Epiſtolas grauiſsimæ eruditionis poſteris dedicaſti. Sed hæc & Græcæ traductionis non ignobilia opera, cum lepidis poematibus, eruditorum liberorum diligentia publicabit. Ego verò te, quanquam ex merita pietate haud dubiè cœleſti felicitate beatum, fruſtra ſingulis horis cum fletu requiram, & eo quidem grauius atq; moleſtius, quo inſtantis ſenectutis ſperata ſolatia Fato tuo mihi erepta ſatis dolere non poſsim, niſi tibi malorum finem, & perennis boni vel ſerò paratam poſſeſsionem, impiè aut imprudenter inuideam. Elatus eſt nobilium iuuenum humeris, tumulatusq; in tẽplo maximo, qui honos nemini adhuc, niſi ſacrato viro, Comi contigit.

Ioannis Baptiſtæ Poſſeuini.

*Claudere Muſæum iam Paulus cœperat, atq;*
*Extremam chartis impoſuiſſe manum,*
*Quum ſubitò exclamat Benedictus muneris huius*
*Siccine me expertem frater abire ſinis?*
*Non datur hoc, Iouius, viuenti, dixit, at ille*
*Perpetuũm ſperans viuere, lætus obit.*

Antonij Seronis.

*Quòd ſis vltima pars Ioui libelli,*
*Id fratris pietate, & arte factum eſt,*
*Ne vel carior aptiorue imago*
*Olim quàm tua iactet vlla ſeſe*
*Signaſſe hunc lepidiſsimum libellum.*

Latomi.

*Quum tibi deferret fratris ſententia primum,*
*Aetatis medium poſceret ordo locum:*
*Maluit extremum Phœbus conſultus haberes:*
*Nec tibi non certa lege ſupremus erit,*
*Dixit honoratum quod frater ductitat agmen,*
*Claudere quis melius debuit, aut potuit?*

*DESIDERANTVR autem à nobis multorum imagines, qui præclara, quum iampridẽ obierint, ſcriptorum teſtificatione, ingeniorum ſuorum effigies famæ conſecrarũt. Fruſtra enim eas, vel diligentiſsima veſtigatione perquiſiuimus: ſic tamen vt minimè deſperemus viros elegantes huic honeſto voto humaniter ſuffragaturos. Alij enim aut ſtatuas, aut picturas publicis aut priuatis in locis oſtendent, aut turpiter apud propinquos neglectas, aut occultatas indicabunt. Quid enim in toto nobilis officij genere honeſtius eſſe poterit, quàm in Muſæum, quo publicus virtutis honos ad exemplum & voluptatem continetur, exoptatas imagines liberali pietate contuliſſe?*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Maphei Vegij Laudenſis.

QVI Heroico ſpiritu Maronem feliciter æmulatus, quum Aeneidem addito libro ſuppleuiſſet, omnes ferè à mille annis illuſtres poetas, nec excepto quidem Petrarca laureato, præclara cum laude ſuperauit. Sed grauioris quoque doctrinæ, & ſummæ prudentiæ opinione, Martini pontificis amicitiam conſecutus, in conferendis ſacerdotijs ſupplicum libellorum officio præfuit: ita, vt mox Eugenio, & Nicolao cariſsimus fuerit. Extat & eius iucundus nobiliſque Dialogus de Præſtantia diſceptantium, Terræ, Solis & Auri: & ne quid ad cumulatam eruditionem vero Chriſtiano deeſſet, quædam etiam in ſacris literis ſynceræ interpretationis gloſſemata reliquit, aureumque præſertim libellum de rebus antiquis memorabilibus Baſilicæ ſancti Petri, in quo donaria, ſepulchraque pontificum referuntur.

Iacobi Guidij.

*Felix, dum ſtudet addito libello*
*Aeneam Vegius referre ad aſtra,*
*Illuſtres alios it ante vates*
*Aſſerta ſibi gloria Maronis.*

Latomi.

*Quam laudem Vegius petebat, aufert,*
*Vt ſummo ſimilis foret Maroni.*
*Tabellæ Veneris manum ſupremam*
*Tanto haud indecorem ferens Apelli.*

# Ioannis Tortelij.

QVI Aretij natus ingenium omnibus ferè diſciplinis excultum Romam attulit, meruitque inde, vt ab optimo pontifice Nicolao intra cubiculum curarum, & conſiliorum particeps, & ſacrorum ſtudiorum adminiculator aſciſceretur. Suauitate enim ſermonis, hilarique modeſtia æquales anteceſsit, inter quos pudenda ſimultas inſanis altercationibus excitata, omnem literatæ dignitatis exiſtimationem fœdiſsimè conuellebat. Sed Tortelius exacti grammatici laude contentus fuit, edito nobili æternoque volumine de Poteſtate literarum, quo maximum renaſcenti eloquentiæ lumen adfuiſſe videmus. Diui quoque Athanaſij vitam Eugenio expetenti Latinam fecit. Sed quid maius Tortelio in toto genere laudem tribui non ineptè poteſt, quando eum Valla diſertiſsimus omniũ grammaticus, tanquam ſummum cenſorem ſibi delegerit?

Latomi.

*Nomen grammatici petens, tuorum*
*Votorum poteras tuliſſe ſummam*

*Videri:*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Videri: niſi pleniore Valla*
*(Certè candidus, & benignus in te)*
*Integræ titulo eruditionis*
*Ornatum voluiſſet: experire*
*Dum te iudice ſe obtulit paratum*
*De facto vitio Latinitati:*
*Vnus quo reliquos agebat omneis,*
*Cui te præ omnibus eximebat vnum.*

# Bartholemæi Facij.

HVNC Spedia intimum Lunenſi in portu Liguriæ oppidum protulit, vtriuſque linguæ peritia inſignem, ſed certè clariorem, ſi Genuenſium victorias de Veneto hoſte naualibus prælijs partas, incorrupto iudicio perſcripſiſſet: nam Valla, quanquam ſuſpectus hoſtis, & irriſor, nihil eum æqua prudentia, nihil ex lege conſcribendæ hiſtoriæ, dum illa conderet, perpendiſſe teſtatur. Sed Alfonſus rex veræ gloriæ cupidus, eum ideo liberali ſtipendio conduxerat, vt res ſuę bello geſtæ, quæ erant abſoluto ſcriptore digniſsimæ, poſterorum memoriæ mandarentur. Eo nomine quanquam in diuerſa materia Vallæ æmulus factus, obtrectatione laudis peracrem virum ita pupugit, vt talionis immortali vulnere facilè ſuſcepto clarior euaſerit: alioqui ſecundam famam meritus, quum Arrianum de rebus Alexandro Magno geſtis, è Græco Latinè loquentem edidiſſet. Subſecutus eſt properè hoſtem Vallam pari, ac importuna Fatorum iniuria elegantioribus ſtudijs ereptum, ita vt non infacetè hoc carmen epitaphio ſubſcribendum ederetur:

*Ne vel in Elyſijs ſine vindice Valla ſuſurret,*
*Facius haud multos poſt obit ipſe dies.*

Latomi.

*Qui Vallam nequijt viuum ſuperare, petendum*
*Duxit ad infernas iſſet vt vmbra domos.*
*Copiolas noſtras ait, vt qui læſerit omneis,*
*Coniungam doctis manibus, & moritur.*

# Guarini Veronenſis.

AB hoc inſigni viro, Græcæ, Latinæque literæ obſcuris illis tēporibus, antiqui ſeculi normam, quadratæq; ſtructurę ordinem, & diu quæſitum decus receperunt. Huius quoque immortali beneficio, Strabonem fermè totum legimus, atq; item aliquot Plutarchi Vitas in Latinum accuratè cōuerſas. Hæc parta laus manauit ad filium qui tali hæreditate peculiariter honeſtatus, æmulatione patris, quū ijſdem ſtudijs operam dediſſet, rem vtriq; & familię & nominis dignitatē diligenter adauxit.



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Veſpaſiani Strozzæ.

*Hunc tibi conſenſu tumulum Ferraria magno*
*Pro meritis poſuit clare Guarine tuis.*
*Tu pater eloquij, geminæ tu gloria linguæ,*
*Præcipuus iuuenum moderator eras.*
*Te duce noſtra vigens ſtudijs florentibus ætas,*
*Pierio priſcis certat honore viris.*
*Nec Verona minus tali ſe iactat alumno,*
*Quàm celebres veteri nomine tollit auos.*
*Primus & extremus te nouerat orbis, & vltra*
*Humanum virtus ſe tulit iſta gradum.*
*At nos hîc ſenio reſolutos condimus artus,*
*Candida ſidereas incolit vmbra domos.*

Eiuſdem.

*Hic veneranda tegit magni lapis oſſa Guarini,*
*Vtraque lingua ſuo mœreat orba patre,*
*Hoc Verona decus terris dedit, abſtulit ætas*
*Longior, ad Superos mens pia fecit iter.*

Latomi.

*Famam qui celebrem, nomenq́, reliquit honeſtum,*
*Guarinus, vixi, dicere iure poteſt.*
*Qui latuit viuens vel habet per crimina nomen,*
*Ille nihil moriens perdidit: aſt abijt.*

# Petri Pauli Vergerij.

IS Iuſtinopoli in Hiſtria natus, Chryſoloręque diſcipulus, Græcas literas ex puriſsimo fonte hauſtas, illuſtribus diſcipulis humaniſsimè refudit, vt inductis paſsim eius lingue riuulis, Italiam planè ſitientem irrigaret. Latinè autem ſcribendi, ſingularis eo ſeculo facultas enituit, vti apparet ex eo libello, qui de educandis Liberis ad exactam diſciplinam, peramœnè atque prudenter ſcriptus me puero in ſcholis legebatur.

Latomi.

*Hic ſunt Vergerij ſepulta docti*
*Non fama, & pietas, nec eruditi*
*Fœtus ingenij: ſed oſſa tantùm,*
*Et quicquid tumulo ſolet rec[illegible]idi,*
*Terrenum, breue, lub[illegible]um, caducum.*
*Viuunt illa, manentq́; & vſq; & vſque:*
*Et vel Elyſijs recepta campis,*
*Vir manibus, vt piæ miniſtræ,*
*Adſunt: & meritum aſtruunt honorem:*
*Vel per ora hominum vol[illegible], cauentq́*

Ne mor-

*Ne mortis rabidum tuliſſe dentem,*
*Vel totus tumulo periſſe, ſeclis*
*Vllis Vergerius queat videri.*

# Iacobi Bracellij Liguris.

PRAECLARO huius exemplo liquidiſsimè conſtat, non eſſe vſque adeò dura atque aſpera Ligurum ingenia, quum à quibuſdam damnatæ eius terræ glabris cautibus aſsimilentur, vt non facilè Muſarum cultura molliantur. Scripſit enim Alfonſi Regis res bello geſtas, omnium ſcriptorum collatione, qui nuper ante ceſſerint, longè grauiſsimè, ſi eius ſeculi nondum perpolitam eloquentiam cum ea conferamus, quæ demum inducta ſubtiliore antiquorum imitatione candidior euaſerit.

Latomi.

*Aſſeris Alfonſo meritos virtute triumphos,*
*Opes, duces, & oppida.*
*Aſſerit Alfonſus ſtudij tibi præmia, nomen*
*Interque doctos nobile.*
*Adde quod alterius quæ eſt vita, eſt mutua: neuter*
*Cadente ſtabit altero.*
*Hoc reor eſſe, quòd olim non inſulſa vetuſtas*
*Iunxit Camœnas Gratijs.*

# Georgij Vallæ Placentini.

QVI diſciplinas, literasq; omnes, vno ingenti volumine complexum, multa potius didiciſſe, quàm in eo celeri tranſcurſu perdiſcenda poſteris reliquiſſe videtur: quandoquidem coaceruantis omnia, indefeſſeque ſcribentis, requiſitus ille Romanæ elocutionis ſpiritus omnino defuerit, quo vno voluminum vita præclarè alitur, longiſsimeq; producitur.

Latomi.

*Et tibi, Valla, tui ſtat opinio magna laboris,*
*Futura ſemper poſteris honeſtior.*
*Quid tum? ſi pulchri curam, ſpeciemq; negante*
*Tum ſeculo, deeſſe Momus dixerit?*
*Et viuunt multi, facie vel tubere turpes,*
*Tamen Sybillæ quos ſtatim haud cenſent libri*
*In mare portandos. tibi ſtat tua fama, Georgi,*
*Vtcunq; forſan altero pede claudicet.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ioannes Simoneta.

HIC Franciſci Sfortiæ res geſtas, elocutione, texturaq́ue operis C. Cęſarem alludendo imitatus, Latinè perſcripſit: is demum liber, vt diffuſius, in caſtrisq́ue pręſertim à militibus legeretur, à Landino in Etruſcum ſermonem conuerſus eſt. Erat Ioanni germanus frater Cichus: ille in Brutijs natus, qui Galeacio à coniuratis interfecto, quum pupilli incorrupta fide tutelam ſuſcepiſſet, nefaria ambitione Ludouici patrui captus, damnatusq́ue fatalis conſtantiæ ſuæ abſciſsis ceruicibus pœnam ſubijt, mitiore aliquantò Fortuna erga Ioannem, quum in eadē quęſtionis acerbitate diu tortus euaſerit, valido ſcilicet apud Tyrānum pudore, ne videretur ingratè ſublatus, qui patrem ſummę virtutis principem, ne vnquam interiret, beneficio literarum immortalem effeciſſet.

Latomi.

*Quid, Simoneta? negas relatam gratiam,*
*Qui de Tyranni non ita es meritus patre?*
*At dira fratrem quæſtio iam abſorbuit.*
*Et tu perieras: ſed datum hoc eſt gratiæ,*
*Tormenta quòd poſt multa non occideris:*
*Nam vt innocentem te probes, nil egeris.*
*Immo, inquis, eſt relata: ſed tyrannica.*

# Bernardus Iuſtinianus Venet.

HIC à prima patriæ naſcentis origine Hiſtoriam ſcribere orſus, quod ſuſceperat graue munus elegantiſsimè perfecit: ita, vt eum nobili gloria dignum exiſtimemus, quum patritius, eruditoq́ue patre genitus, quod patriæ debebat egregiè, cumulateq́ue perſoluerit.

Latomi.

*Quærere debueras aliquem toto orbe Latino,*
*O Imperatrix Hadriæ.*
*Qui quæ geſsiſti præclara domiq́ forisq́,*
*Inde vſque ab incunabulis,*
*Ore, animoq́ pari, nullo corruptus amore,*
*Ad poſteros tranſmitteret*
*Quæſiſti multis, quadam præmortua ſeclis*
*Iam parte: nec repertus eſt.*
*Ergóne deſperas? poteras: ſed reſpice, ciuis*
*Qui præſtet hic Bernardus eſt.*
*Quare age, grata ſuo quantum Verona Catullo,*
*Perſolue: ni plus debeas.*

CHRI.

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Chriſtophori Perſonæ Romani.

IS inter diuæ Balbinæ flamines, in Auentini montis cœnobio Prior appellatus, Procopium Latinè loquentem fecit, non dubia in Leonardum Aretinum conflata inuidia, qui ſuppreſſo Græci authoris nomine, Gothicam hiſtoriam, tanquam è varijs ſcriptoribus decerptam pro ſua Iuliano Cæſarino Cardinali, qui ad Varnam ab Amurathe cæſus perijt, nullo pudore nuncuparat.

Latomi.

*Forſan erit, Gothicos qui te celebrare triumphos*
*Non ferat: & dignum te patriaq; neget.*
*Immò nemo ſuos non inculcare labores*
*Gaudet, ſublatis quæ tulit antè malis.*
*Eximium præſtas patriæ officiumq;, fidemq;:*
*Prociderit: firmo eſt nunc iterum illa gradu.*

# Gregorij Tiphernatis.

HVIVS doctiſsimi viri munere reliquam Strabonis partem quam Guarinus non attigerat, in Latinum ſplendidè traductam legimus. Fama quoque fertur Herodiani Hiſtorias eius ingenio, laboreque fuiſſe translatas, quaſi eas morienti ſubtraxerit Politianus, vir in literario negocio ſæpe cõuictus furti: ſed vix credibile videtur, vt vir in omni dicendi facultate opulentiſsimus, idem atque promptiſsimus, ex alieni ingenij labore famam probro, & calumnia redundantem quæſiſſe voluerit.

Pontani.

*Gregorio ſit terra leuis, ver adſit & vrnæ:*
*Terra ferat flores, vrna liquore fluat.*
*Plaudat & huic Latium tumulo, plaudatq; iuuentus*
*Itala, Gregorio & Vmbria plaude tuo.*

Latomi.

*Gregorius toti quo ſeſe proderet orbi,*
*Pergit Strabonem vertere:*
*Cum quo nunc peragrat Latiali in veſte togato,*
*Quàm latus ipſus orbis eſt.*
*Ingens quod merito pro prauo munus, Apollo*
*Tamen libenter contulit:*
*Vel quòd eum ſciret longè grauioribus aptum,*
*Vel quòd fidem cognoſceret.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Raphael Volateranus.

FVIT hic vir infinitæ propè lectionis, quippe qui diſciplinas omnes in aceruum coniecerit, vtili potius in aliena deſidia, quàm ad explicatæ doctrinæ decus nobili opere: non multò enim cum ſale, & ſine ornamento Latinæ orationis, cuncta aſtricto ordine ita digeſsit, vt alibi quærenda legentibus indicare videatur. Ea vero quæ de Principibus ætatis ſuæ ſcripſit, tanquam timido ore carptim enarrata, rerum ſuperiorum haud dubiè fidem eleuant: oſtenduntque ea omnino certa veritatis luce carere, quæ inter adulationem & metum nec præſentis nec futuræ ſpe laudis, intempeſtiuè publicantur. Sed multum hercle debemus ingenuo gratuitoq; labori, quo hic integritate vitæ vir optimus, delicatis rerum noſcendarum compendia demonſtrauit, & Procopium de Perſico, atque Vandalico bello, ſyncerè potius quàm ſplendidè conuertit.

Latomi.

*Ito, inquam, ito, nec obſtrepas, Viator,*
*Qui vertigini tam graui laboro,*
*Quòd nullam capio hactenus quietem,*
*Luſtra hìc cum iaceam nouena, & vltra,*
*Sic me excarnificat ſua imbibenda*
*Phraſi Tullius: abſque qua tueri*
*Vitam poſſe meos negant labores.*
*Sed qui nuper adeſt Eraſmus iſtinc,*
*Dicit non opus, & monet quieſcam.*
*Illas proinde moleſtias moleſtas*
*Longum omneis iubeo valere. ſed tu*
*Nunc ô ſumme veni, veni, veterne.*
*Venit: tu ito, nec obſtrepas, Viator.*

# Antonius Galatheus.

HIC è Salentino extremo Italiæ angulo perilluſtris medicus atque Philoſophus, ſtudia quæ ſectabatur, optimis literis expoliuit, extenditque ingenium vſq; ad poeticam laudem, ob id à Pontano Hermolaoq; grauiſsimè celebratus. Eius extant præter Etruſca carmina & Phyſicæ quæſtionis ſubtiles libellos, Iapygia chorographicè deſcripta: quæ meo iudicio cum antiquis comparanda videtur. Sed tum cum lepore doctus & vrbanus apparuit, quum in curatione podagræ leniẽdo dolori, eius inſanabilis morbi encomium feſtiuiſsimè ceciniſſet.

Latomi.

*Quam laudas, Podagramq́; vocas, Galathee, puellam*
*Quamuis proſtituas, interea ipſe premis.*

Auelli

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Auelli ſed poſſe negas. ergo potes idem*
*Publicus & mango, mœchus & eſſe domi.*

# Ludouicus Cælius Rhodogin.

HVIVS multa volumina lectionum Antiquarum, quum ingentes vigiliarum opes oſtentent, pleriq; admirantur: ſed ea farrago, tãquam ex vetere horreo laborioſe affectateque prolata, delicatis lectoribus quoddam ſubrancidum olere videtur. Nullus enim compoſiti ac illuſtris ſtyli neruus, tanta in compage conſpicitur. Sed eum tamen Patauij & Mediolani cum laude, vel ob id, quod egregium totius habitus dignitatem attuliſſet, é ſuggeſtu docentem audiuimus.

Cælij Calcagnini.

*Lodouicus ille Cælius, domi & foris*
*Græcè, Latinéque omnium doctiſsimus,*
*Viuet perennis, quodq́ paucis contigit,*
*Vixit: ſuæq́ æternitati interfuit.*

Cæſaris Scaligeri.

*Deſcripſit Varro, coràm quæ ſæpe videbat:*
*Aut facilè è patrijs prompſerat hauſta libris:*
*Varronem extinctum magni ſit reddere: maius*
*Illum maiorem condere: vtrunque dedi.*

Latomi.

*Cælius ingentem rerum conuectat aceruum,*
*Et tantùm plenos curat habere lacus.*
*Vel ſine delectu dedit horrea ditia multùm:*
*Quem tu ſi facias, lauta palato etiam.*
*Abfuit vſque adeò nihil, hoc in Cælio haberent*
*Tempora Varronem quò minus iſta ſuum.*

# Iacobus Faber Stapulenſis.

AB hoc homunculo, genere ſtaturaque perhumili, ſed ab ardenti ingenio cum optimatibus haud dubiè conferendo, totius Galliæ iuuentus ad cultarum literarum ſtudia alacriter excitata eſt. Faber enim ingeniorum appellari volebat: quum in omni ferè doctrinæ genere ad docendum aptiſsimus haberetur. Defuit in eo, dum ſcriberet, illa Latini ſermonis puritas, quæ diu, aut neglecta apud externos, aut parum accuratè quæſita, non magnoperè feruida ingenia delectabat. Scripſit Commentarios in Aſtronomicis, iuuentuti perutiles, & Scholia in Moralem philoſophiam, perdiſcentibus opportuna: ætate autem confe-



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ctus, quum ſacras literas attigiſſet, à Lutherana doctrina non procul abſuit, ita vt in ea ſuſpicione ſenex moreretur.

Cæſaris Scaligeri.

*Inuidioſa vtriuſque ſui ſapientia mundi,*
*Mortalis, Stapulæ quem genuere, Faber.*
*Iacta alios, qui egeant laudis mea Gallia veſtræ:*
*Nanque meæ potius Gallia laudis eges.*

Simonis Vallamberti.

*Hac quicunque vrna Fabrum putat eſſe ſepultum*
*Errat, cœleſtem non tegit vrna virum.*

Latomi.

*Hic Stagyrææ recubat doctiſſimus artis,*
*Notus formandis ingenijsq́; Faber:*
*Gallia cui meritos, ſi eſt grata, refundet honores,*
*Et tumulo flores, thusq́;, merumq́; dabit.*
*Hoc magis, extremo quòd tempore penè cataſtam*
*Inuidiæ manibus fecerat ipſe ſibi.*
*Sed ſic Socraticæ decuit decedere vitæ:*
*Scilicet inuidiæ non ſine dente, ſenem.*

# Antonij Tileſij Conſentini.

HIC varia tenuique materia, & minuto ſemper lemmate delectatus, non ignobilis poetæ nomen tulit, quum in paruis ſingularis & planè conſpicuus eſſe mallet, quàm in grandi charactère, veluti vnus de populo in turba tot vatum trita, & centies repetita canentium, mediocris & obſcurus. Deſcripſit enim lepidè & diligenter nonnulla curta poemata, inexpectati, ac ideo feſtiui ſemper argumenti, & in his Zonarium reticulum, quo ſacerdotum ſerica crumena ſuſpenditur: fictilemque lucernam: tantum ſibi olei, dum Muſas coleret, exorbentem: & lucentem noctu volucrem cicindelam, puerorum luſibus opportunam. Reliquit & Tragœdiam, in qua Danaem ſub aurei imbris nomine, cum multo ſententiarum verborumque ſplendore expreſsiſſe iudicatur: ac item breues libellos de Coronis atque Coloribus grammaticis, rei nouitate gratiſsimos. At Romæ in gymnaſio Horatium comiter & tenerè profeſſus, ſacerdotium à Giberto promeruit, effugitque cladem Vrbis, vt in patria non planè ſenex interiret.

Latomi.

*Pauca millia verſuum Thileſi*
*Te, nec fallimur, edidiſſe conſtat:*
*Viues millia multa ſeculorum:*
*Et gratas neget eſſe quis Camœnas?*

PETRI

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Petrus Alcylonius.

IS quum duarum vrbium ſuppreſſo nomine ſe Hybridam fateretur, diu in chalcographorum officinis corrigendis erroribus menſtrua mercede operam nauaſſet, multa obſeruatione ad prę cellentem ſcribendi facultatem peruenit. Sed hic partus honos non erat in conſpectu, quum nulla ex parte ingenuis, ſed planè plebeis & ſordidis moribus fœdaretur. Erat enim impudens gulę mancipium: ita, vt eodem ſæpe die bis & ter, aliena tamen quadra, cœnitaret. nec in ea fœditate malus omnino medicus: quòd domi demum in lecti limine per vomitum ipſo crapulæ onere leuaretur. Quum aliqua ex Ariſtotele perperam inſolenterque vertiſſet, in eum Sepulueda vir Hiſpanus. egregiè de literis meritus, edito volumine peracuta iacula contorſit, non hercle indigna tanti philoſophi vulneribus, ſi vindictæ nomine merita pœna mulctaretur, tanto quidem eruditorum applauſu, vt Alcyonius ignominiæ dolore miſerè conſternatus, Hiſpani hoſtis libros in tabernis, vt concremaret, graui precio coemere cogeretur. Sed luculento opere de toleranda exilij Fortuna, ita eruditionis ac eloquentiæ famã ſuſtentatuit, vt ex libro de gloria Ciceronis, quē nefaria malignitate aboleuerat, multorum iudicio confectum crederetur. In eo enim, tanquam vario centone, præclara excellens purpuræ fila, languentibus cæteris coloribus intertexta notabantur. Verùm non multò pòſt confirmatæ ſuſpicionis inuidiam duabus ſplendidiſsimis orationibus peregregiè mitigauit, quum in clade Vrbis vehementiſsimè inuectus in Cæſarem, populi Romani iniurias, & Barbarorum immanitatem, ſumma perfect oriatoris eloquentia deploraſſet.

### Latomi.

*Charybdis illa, & gurges Alcyonius,*
*Hîc, viuere, immo bibere, poſtquàm deſijt,*
*Exhalat altam exæſtuando crapulam,*
*Vt quam bibens, viuens volo, haud concoxerat,*
*Buſtum frequenteis obſidère vultures,*
*Miluos, & vpupas, noctuasq́, conſpicis:*
*Innata queis eſt fœda vel voracitas,*
*Vel lucis odium, vel cupido ſordium:*
*Fuêre in illo cuncta quæ domeſtica.*
*Vt illa oletum olens anima ſpurciſsima*
*Nunc iure talem ſortiatur hoſpitem,*
*Phœbo ſceleſtam vindicante iniuriam,*
*Qualem ipſe ſacris præbuit ſe literis.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Petri Martyris Angleriæ.

IS eſt, qui apud Verbanum Ciſalpinæ Galliæ lacum natus, Oceaneas decades rerum Indicarum conſcripſit, quum in Hiſpania aſcitus in regiam, Ferdinando Regi ingenij ac induſtriæ ſuæ operam obtuliſſet. Nactus enim materiam luculento ſcriptore digniſsimam, id ingenue fideliterque præſtitit, quod mediocris ingenij vires tulerunt, ſic vt ingentis & peramœnæ occaſionis argumẽtum, his præbuiſſe videatur, quibus liberales Muſæ, ad ornatè copioſeque ſcribendum, facultates ampliſsimas contulerunt. Extat eius legatio ad Campſonem Gaurum Memphiticum regem ſuſcepta, viriliter integerrimeq́ue deſcripta, quo vel breui opere, ſublatæ demum Sultanorum tyrannidis, & Mamaluchorum equitum, quorum nomen nobis erat obſcurius, memoria relinquitur. Sed tum importunè deceſsit, quum Ferdinandi Corteſij in altero ad Occidentem orbe inuento ſubactoq́;, inuſitatæ felicitatis victorias ſcripturus eſſe videretur.

Latomi.

*Quid Petrum veteri hîc in orbe quæris?*
*Iuit res ſuperis nouas relatum.*

# Gabrielis Altilij.

GABRIEL Altilius in Lucania natus iunioris Ferdinandi regis præceptor, vſque adeò molliter, ac admirandè in elegis, & heroico carmine excelluit, ſicuti ex Epithalamio Iſabellæ Aragoniæ perſpici poteſt, vt Pontani atque Actij teſtimonio, antiquis vatibus æquaretur. Is virtutis merito, Policaſtri (ea vrbs olim Buxentum fuit) antiſtes factus, à Muſis per quas profecerat, celeriter impudenterque diſceſsit, magno hercle ingrati animi piaculo, niſi ad ſpem non iniuſtæ veniæ ob id culpa tegeretur, quòd ad ſacras literas nequaquam ordinis oblitus tempeſtiuè confugiſſet. Mortuus eſt in ſacrata ſacerdotij ſede, ſexaginta annis maior, tulitque Pontani pietate, ſupremi officij nobile carmen, quod pro titulo vrnæ marmoreæ incideretur.

Pontani.

*Et tibi dant tumulos Muſæ, meritumq́, ſepulchrum,*
*Et tibi dat titulos quæ tibi culta Charis.*
*Altili ô venerande iaces hîc? hac iacet vrna*
*Pontificale decus? pontificalis honos?*
*Ergo agite ô Nymphæ Sebethides, ergo age virgo*
*Parthenope: ad tumulum ſpargite Veris opes:*
*Sparge tuos flores, florum fœcunda Patulci.*
*Et tu ſparge tuas Antiniana roſas.*

*Attilio*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Altilio requiem dic, ô Chari, dic age, Clio:*
*Luceat Altilio lux ſine fine meo.*
*Quiſquis adeſt, pia verba ſonet, madeatq́ ſepulchrũ*
*De lachrymis: madeat Pieri rore tuo.*

Baſilij Zanchij.

*Minciadæ in ripa veteris prope mœnia Mantus*
*Errat & in Thuſco concinit vmbra lacu:*
*Dum canit, argutos cantus imitatur oloris,*
*Dulcibus extremum dum canit ante diem.*
*Scilicet Altilij poſt funera dulcis imago,*
*Nunc repetit patriæ limina cara ſuæ:*
*Nunc tumulum inuiſit magni propè buſta Maronis*
*Sebethus placidis quà fluit amnis aquis.*
*Talis Perſephone, talis Ledæa propago,*
*Alternis ſuperas idq́, reditq́, vias.*

Latomi.

*Audijt Altilius deſertis transfuga Muſis:*
*In quarum tabulis nobile nomen erat.*
*Sed quid peccauit, ſi demereatur, vt olim*
*Carminibus Phœbum, nunc pietate Deum?*

# Marcellus Virgilius Florent.

EXIMIA huius fuit in blando vultu, cultoq́ue ſermone ſuauitas, et quum è ſuggeſtu iuuentutem doceret, aut in corona loqueretur, doctrina multiplex, ipſaq; varietate mirabilis. Ex eo autem officij munere, quod antea Aretini, Pogijq́ue fuerat ab epiſtolis Reipublicæ operam præſtabat: quum ſuppeteret otium tertio muneri vacare erat ſolitus. Suſceperat enim Dioſcoridem omnino traducendum expetentibus medicis, petebat enim ex eo labore non obſcuram laudem, quòd in perdifficili herbario negotio ab ineunte ætate accuratiſsimè deſudaſſet. Sed edito opere ſtatim in publicum exierunt duæ omnino diuerſæ interpretationes: altera Hermolai, quæ extincta putabatur, altera Ioannis Ruellij Galli à Latini ſtyli mundicijs multò maximè laudata. Extat etiam nobilis oratio in concione habita, quum Laurentio Medici Iuniori militaris Imperij inſignia traderentur.

Latomi.

*Et tibi Vergilium dederunt, Florentia, Diui,*
*Quo nomen inſtar Mantuæ*
*Nobile ſuſtineas: illa aurea quatenus ætas*
*Permittit iſti ferreæ.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Iani Parrhaſij

VIR hic honeſta familia Conſentiæ, quum è ſuggeſtu ſumma facundiæ maieſtate Latinas literas Mediolani profiteretur, cunctos noſtri ſeculi doctores, erudito rerum omnium quæ explicaret apparatu, ac vna præſertim rotundæ pronuntiationis gloria ſuperauit. Duxerat vxorem Demetrij Chalcondylis filiam, qua felici cognatione, & ſocer, & gener, mutui ſuffragatores in ſcholis vtriuſq; linguæ imperium tenuerunt, tanta Parrhaſij fama, vt Triuultius ſummæ dignitatis ſexagenarius Imperator, inter iuuenes auditores conſpiceretur. Edidit commentarios in Claudianum, et Naſonis Ibin, recōdita eruditione refertiſsimos. Nouiſsimè autem in manibus erat penè abſolutum volumen de Rebus abſtruſis per epiſtolam quæſitis. Sed Mediolano excedere coactus eſt, quum ludimagiſtri regionum ſæpe ab eo reprehenſi redargutique, ac ob id inſcitiæ pudore decoquentes in eum conſpiraſſent, ita vt laſciua fabula Inſubrum auribus grauis excitaretur, tanquam auditores parum pudicè dilectos corrumperet. Verùm ab ea futili calumnia, tanquam literarum nomine clariſsimus conducente Leone cum Baſilio vxoris fratre in Vrbem venit, ſed tāti ſuggeſtus honore diu perfrui non potuit, articulari morbo membra omnia ſæuiſsimè deformante, vnde ei maturatus in patriam reditus cum vitæ exitu contigit.

Pierij Valeriani.

*Parrhaſius quantum picturæ contulit olim,*
*Parrhaſius noſter contulit eloquio.*
*Ille fuit celebri deductus origine Phœbi:*
*Hic genus vnde trahat, ſcripta diſerta monent.*
*Ille ſuos velat tenebris ex arte labores,*
*Hic aperit clauſum quicquid erat in tenebris.*

Latomi.

*Ianum, reſpiceret quòd tempus vtrunque Latinum*
*Priſca ætas gemina fronte fuiſſe refert:*
*At nunc Parrhaſio, doctrinæ nomine, Iano*
*Cor geminum, & pectus nemo fuiſſe neget.*

# Georgij Sauromani Germani.

HIC in Italia, quum Iuris ciuilis ſtudio operam dediſſet, eamque facultatem ſine forenſi agitatione parum nobilem, nec fructuoſam eſſe fateretur, ad humaniores literas ingeniū traduxit, adeò feliciter, vt duabus orationibus in laudem Caroli Cæſaris publicatis, totius Academiæ iudicio, Longolio plenior atque toroſior cenſeretur. Ob id ciuitate Romana donatus eſt, egitque tenerum ſodalem apud Acade-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Academicos exuta quidem omni vocis, moris, atque habitus aſperitate per aliquot annos, dum minuta Cæſaris negotia procuraret, Leoni, Hadrianoque & demum Clementi eloquentiæ nomine non ingratus. Sed in tumultu captæ vrbis ab Hiſpanis, omnibus fortunis exutus, ne in tormentis expiraret, à Germanis ita ſeruatus eſt, vt non multò poſt graſſante peſtilentia, cum filio concubina que perierit.

Latomi.

*Ille hic Germanæ non vltima gloria terræ,*
*Deſpecto in tumulo, at nobili in Vrbe iacet.*
*Hanc dedit externo raræ facundia linguæ,*
*Illum gentilis miles, & atra lues.*
*Ipſe tamen viuit, ſed quomodo mortuus? inquis:*
*Laudati æternis Cæſaris in titulis.*

# Cælius Calcagninus Ferrar.

HIC diu in patria iuuentutem docuit, honeſtiſsimo patre, ſed incerta matre genitus, ab Ateſtino Principe ſacerdotio donatus eſt, quum fœcundum, miteque ingenium, & elegantes mores ad literas attuliſſet. Pronior erat ad Elegos, quandoquidem in pedeſtri oratione ieiunus, & ſcaber, & ſine dulcedine numerorum affectatus haberetur. Dum enim multa legiſſe videri vellet, & plurima docere percuperet, in Epiſtolicis quæſtionibus, & titulo inepto, & toties vſurpata ab aliis materia naſutos offendit, & bilem mouet nobilibus ingeniis, quum in libros Ciceronis de Officiis, inuerecunde prorſus inuehitur, qua in re à feſtinante Fato beneficium tuliſſe iudicari poteſt, quòd luculentam Ciceronis defenſionem à Maioragio in publicum prodeuntem, & viuum proculdubio iugulaturam, morte effugerit.

Liliȷ Gyraldi

*Aſta, Viator, non eſt moræ diſpendium,*
*Mortalitatis hoc memor nuperrime*
*Tibi ſepulchrum Cælius conſtruxerat,*
*Quo doctiorem neminem Sol lampade*
*Quacunque ſpargit lumen orbi viderat,*
*Eheu, repentè raptus hic eſt conditus,*
*Cui ſunt parem viſura nulla ſecula,*
*Hic gloriæ, dum vixit, inuidit ſuæ,*
*Tot ſplendida eruditionis lumina,*
*Quæ maximo, Alcida iubente principe,*
*Vulgata, denſas different caligines,*
*Quæ paſsim oberrant ſenſibus legentium;*
*Iam abi, Viator, & memento ſedulò*
*Præclara tantùm facta Fata vincere.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Cynthij Gyraldi.

*Quiſquis Caſtalidum colit vireta,*
*Mente vel vigili petit ſerenas*
*Domus cœlicolûm, viceſq́; rerum,*
*Naturæ & penetrat vias latentes,*
*Vel putat faciles Deos habere,*
*Virtutis propriæ fauore fretus*
*Te Cæli aſpiciat, tuumq́; Fatum,*
*Quo nil deterius dedêre terris*
*Crudeles nimium tibi Sorores.*
*Tu quid pulueris (heu modum) Sibyllæ*
*(Æquo lumine, heu Fata ſi viderent)*
*Explere, aut Pyliæ dies ſenectæ,*
*Debebas, Lacheſi iubente dira*
*Prô ſcelus, raperis gradu citato.*
*Exemplo hoc igitur docemur omnes,*
*Quàm conſtent fragili loco perenne,*
*Quæ nos credidimus manere in æuum.*

Latomi.

*Nempe, vulgo etiam, innubæ puellæ*
*Zonam proijciunt, moraq́; mulctant*
*Caſu præcipiti Thalaſsionem.*
*Et tu tam veteris tenax pudoris,*
*Te pro virgine adhuc geris? tuumq́;*
*Times dicere Cælium, Minerua?*
*Sed, ſtulta, vt dubites: quis oris illam,*
*Quis illam ingenij, quis artiumq́;*
*Illam tam vbere copiam fluore*
*Ex te matre Dea neget profectam?*
*Quare ſi ſapis, aſſeras Minerua:*
*Ne cœlo genitum parente, Nymphæ*
*Terreſtres ſibi vindicent libenter.*
*Non eſt, crede mihi, tibi pudendus.*

# Auguſtinus Iuſtinianus Genuen.

HIC è ſecta diui Dominici linguarum varietate delectatus, Inſtrumenti veteris, nouique textus Hebraico, Græco, & Chaldæo ſermone perſcriptos curioſis repræſentauit, graui quidem ſumptu, & tenui cum laude, quum impreſſa domi prǽalta volumina emptores rariſsimos inuenirent, ſic vt temerè conceptam ſpem lucri inanes initæ rationes eluſerint. Sed factus inde Nebienſis Antiſtes, ſcribendæ patriæ Hiſtoriæ negocium ſuſcepit, adeò ineptis ad id ingenij viribus, vt præcipitatæ editionis, malè audiendo, pœnas daret. Nec multò poſt, quum è Genua in Corſicam incerta adhuc tempeſtate traijcere vellet, in curſu fluctibus obrutus, aut à Pœnis prædoni-

prædonibus interceptus creditur, quum nullum vſquam naufragij, aut piratarum prædæ veſtigium apparuerit.

Latomi.

*Iuſtinianus quò abierit ne quærito:*
*Id ſcire Olympi quando te Rex noluit:*
*Sacro trilingui quem edito volumine,*
*Ad alta cœli tranſtulit palatia,*
*Exemplo humanum clanculum Moſaico:*
*Ne fortè buſto lachrymas ſi impenderes,*
*Ne quicquam ocellos, lachrymasq́; perderes.*

# Robertus Valturius.

IS Sigiſmundo Malateſtæ Ariminenſium Principi, militaris diſciplinæ præcepta, è Græcorum & Latinorum Hiſtorijs collecta perſcripſit: eo luculentiore vtilioreque volumine, quòd explicatis veterum machinarum artificijs, totius bellici apparatus inſtrumenta ſecundum picturæ imagines legentium oculis ſubiecerit.

Latomi.

*Queis diruendis turribus,*
*Et edomandis vrbibus,*
*Vſa eſt vetuſtas machinis:*
*Dum reſtitutis denuò*
*Se munijt Valturius,*
*Morti, Charonti, & Æaco*
*Formidoloſus factus eſt.*

# Matthæus Palmerius Florent.

HVIVS ingenio, & induſtria Euſebij libro de Temporibus addita eſt coronis. Scripſit etiam Hiſtoriam Piſanam: atque item poemata Latinis, ac Etruſcis verſibus, quodam etiam opere Danthis comœdiam æmulatus. Sed id nequaquam proſperè ſucceſſit, quum de diuinis perperam, incauteque locutus, libro ex Theologorum ſententia damnato, crematoque in hæreſis Arrianæ ſuſpicionem inciderit.

Latomi.

*Tempora iam multis poſtquam fugientia ſeclis,*
*Et velut in tabula geſta priora refers,*
*Palmeri, inſignem præclaro hoc munere palmam,*
*Morte vel inuidia penè crepante, meres.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Iacobus Angelus Florent.

PTOLOMÆI hic Coſmographiam ex Græcis codicibus, & tabulis diligentiſsimè lineis ex picturæ dimenſione expreſſam, Alexandro Quinto dedicauit: quo munere gentium omnium Hiſtoriæ ingentem requiſitæ lucis ſplendorem accepiſſe videntur, quum narratio maximarum rerum ferè omnis tanquam lumine orbata & manca ſordeſcat, niſi poſitis ſub aſpectum regionum tabulis, ex vero ſitu locorum totius rei geſtæ notitia, quod eſt miræ voluptatis, illuſtretur.

Latomi.

*Et tibi ſtat meriti è tabulis laus, Angele, ſummi,*
*Cum mundo æquales ſanè habitura dies.*
*Hinc te perpetuum comitem Ptolomæus habebit,*
*Pes, oculusq́; alter cuius, & orbis eris.*

# Hector Boethus.

QVI à prima origine Scotorum regum hiſtoriam Latinè diligenter perſcripſit, paſsim veteris chorographiæ memor, & moderatæ libertatis nuſquam oblitus, ita vt magnopere miremur extare de remotis ab orbe noſtro Hebridum, & Orcadum inſulis, mille amplius annorum memoriam, quum in Italia altrice ingeniorum tot ſeculis poſt eiectos Gothos ſcriptores omnino defuerint, tanto quidem publicæ dignitatis detrimento, vt non diſpudeat maioribus noſtris indignari: niſi ſatius fuerit amiſſæ libertatis obliuiſci, quàm cum infami quodam pudore, calamitatis, ac ignauiæ noſtræ vulnera refricaſſe.

Latomi.

*Quiſquis ad tumulum obſtupeſcis iſtum,*
*Tædas perpetua mirare luce,*
*Lucem perpetuis adeſſe tædis:*
*Et quis ſic ſtatuit, cupis doceri:*
*Fiat. Hic recubat Boethus Hector:*
*Ille qui patriæ ſuæ tenebras,*
*Atque illas patrias, nitore linguæ*
*Inuecto Latiæ fugauit vltra*
*Thylen, & vitrei rigoris Arcton.*
*Perſoluunt Scotides proin Camœnæ,*
*Quum paſsim incipiant, queantq́; haberi*
*Romanæ meritas ſuo parenti*
*Grateis. & tumulum volunt ad iſtum*
*Tædas perpetua micare luce,*
*Lucem perpetuis adeſſe tædis.*

POLYDO-

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Polydorus Virgilius.

HIC Vrbini natus, vbi adoleuit optimis inſtructus literis in Britanniam tranſiuit, quum antea lepido argumento Prouerbia, excepta demum ab Eraſmo, & eruditiſsimè amplificata publicaſſet. Is ab hoc Henrico rege fortunis ad auctus, flamenque Londini creatus, conſcripſit Hiſtorias rerum Britannicarum, ea fide vt Scotis, & Gallis ſæpe reclamantibus, alieno potius arbitrio, quàm ſuo intexuiſſe multa in gratiam gentis exiſtimetur, quòd in recenſendis minorum Ducum nominibus, tanquam gloriæ auidis plurimùm indulſerit.

Latomi.

*Vrbinum caro, quod abeſt, tranſmittit alumno*
*Cum gemitu lachrymas, cumq́; roſis violas.*
*Nam didicit ſæuos non iam lachrymare Britannos,*
*Nec gemere ad doctûm buſta ſacrata virûm.*
*Ah, inquit, gemitus quicunque impendere parcit,*
*Cum violis vernas non dabit ille roſas.*
*Tranſmittitq́; merum: ſi fortè quis abluat oſſa:*
*Tergendisq́; crocum, cum caſiaq́; thymum.*
*Atque ait: heu, parteis ego quas ardenter obirem,*
*Pro me, ſi qua hîc eſt mater, obire rogem.*

# Gaguinus Gallus.

GALLIA huic plurimum debet: ſed de fide illi viderint, quorum intereſt incorruptam rerum memoriam ad poſteros tranſmitti: nam in his quæ ad Italiam pertinent huius tempeſtatis, vſque adeò inſolenter, & pingui ſtylo cæcutire ſolet, vt qui nulla orationis ornamenta in eo conſpiciunt, paſsim eius imprudentiam ſtomachentur.

Latomi.

*Condere quum voluit, iam non condire Gaguinus,*
*Acrius vt ſaperet, debuit hiſtoriam.*
*Hoc magis inſipida eſt, quo plus ſale tinxeris iſto:*
*Natiuam rerum nam decet eſſe fidem.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Barinus Becichemus Scodren.

AB hoc Dalmata non inſulsè Latino Georgij Caſtrioti Scanderbechi admirabiles res bello geſtas quanquam inuſitatis exceſsibus perſcriptas legimus. Æquauit enim hic vir amore patriæ, & Barbarorum odio à fide procul abductus, Epirotæ reguli virtutem antiquis heroibus, ita vt iuſtam egregiæ factorum gloriam, dum ſupra æquum in laudes prorumpit, ſuſpicione mendacij eleuaſſe cenſeatur.

Latomi.

*Geſta ab Aloidis trepidanti prælia cœlo,*
*Nec dum ſat promptis ad fera bella Deis:*
*Robora quum licuit pro paruo mittere telo,*
*Et capite excelſum perterebrare polum,*
*Nempe etiam longas ne opus eſſet iungere ſcalas,*
*Theſſ.lus impoſitum Pelion oſſa tulit:*
*Auſus quum nemo Diuûm ſe fidere cœlo,*
*Mutauit fœdis corpora quiſque feris:*
*Donec in Æthnæo fabricatis Lemnius antro*
*Fulminibus, læto contulit arma Ioui:*
*Per quæ porrectos per iugera mille Gigantes*
*Diſiecit, ſummis occuluitq; iugis.*
*Scribere debueras, hominem celebraſſe, Marine,*
*Eſt modus, ingenio ſubſit vt ille tuo.*

# Iacobus Zieglerus.

QVIS eò Latinas literas, quo Romana arma penetrare nequiuerint, perueniſſe non miretur? Hic enim in terra Gothica natus ac educatus, adeò exactè, puriter & facundè, Chriſtierni Daniæ, atque Noruegiæ Regis immanitatem, neque ipſi ſanguinario Tyranno diu lætam, neque demum Dijs vltoribus neglectam perſcripſit, vt eruditis gentibus pudori eſſe poſsit: quòd Latinæ facundiæ fruges, ſub Cimerio cœlo penè felicius ac vberius, quàm ſub hac benigniore, ac temperatiore plaga proueniant. Auther damnatæ memoriæ:

Latomi.

*Quem lictore ſtylo diſertus orbis*
*Inſcenam rabidum trahis Neronem, &*
*Cædendum pueris palam propinas?*
*Reſpondiſſe ferunt: Quid hoc inepte?*
*Si me conſtituis tuum Neronem,*
*Te oportet Senecam fuiſſe noſtrum.*

PAVLVS

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Paulus Aemylius.

HVNC protulit Verona, Gallia aluit, Ludouícus duodecímus ſacerdotio in æde Deiparæ Virginis Lutetiæ Pariſiorum exornauit, quod orſus à primis Galliæ regibus mille amplius annorum Gallicam Hiſtoriam, Laconica tamen breuitate perſcripſiſſet. Sed in ſacri belli enarratione quum Gothifredi Bolionis virtute Hieroſolymæ caperentur, aliquanto luculentius ita ſeſe diffudit, vt medium iter, non interitura cum laude tenuiſſe exiſtimetur.

Latomi.

*Quæ ſemel abſoluit lambendo ſimia fœtum,*
*Plus te (ſi fas eſt dicere) Paule, ſapit.*
*Quum natura duas tantùm conceſſit habere,*
*Miror te extremam non reperire manum.*

# Germanus Brixius.

IS ad Altiſsiodorum Galliæ oppidum natus, in poeſi lauream meruit, Latino carmine edito, de trium ingentium nauium miſerabili conflagratione, quum duę Britannicæ Gallicam cognomento Chordigeram (hæc erat inuſitatæ magnitudinis) harpagonibus comprehenſam expugnare niterentur. Sed demum emendatiora poemata vario titulo publicauit. Inde verò pedeſtri orationi deditus, tranſtulit è Græco, vti Laſcaris alumnum decebat, ex Chryſoſtomo Babylæ vitam, & libros ſeptem de Sacerdotio, puritate ſermonis minimè contemnendos. Seneſcentem, ſed adhuc planè robuſtum inuaſit atræ bilis morbus, ob id paulatim ſæuior, atque lætalior effectus, quum ex accumulato multo auro dimidiam ferè partem furto ſibi ſubtractam miſer ſenſiſſet, vt credi par eſt, à domeſticis, quibus nec vitam quidem poſtea credidit, ſic vt in itinere iuxta Ligerim apud Carnutes expirarit.

Latomi.

*Nunc ſacra cum tractes, quum nunc bona carmina pangas,*
*Quis, Brixi, vatem te neget eſſe ſacrum?*

# Nicolaus Tegrimus.

IS Lucæ natus, profeſsione Iuriſconſultus, poſt magiſtratus honeſtiſſimos in Italia geſtos, patriã Hiſtoriam egregia fide perſcripſit: & in ea pręcipuè vitã Caſtrucij, qui Lucę, Piſarũ, & Piſtorij dominatũ tenuit: & magnas Florentinis intulit clades. Cuius viri, ſi tyrannidis inuidioſum nomen faceſſat, inuſitata bello virtus, ſingulari laude celebranda iudicatur.



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Sed Machiauellus Florentinus Hiſtoricus, patrij veteris odij memor, petulanti malignitate, nõ interituram memorabilis Ducis famam fabulis inuoluit, quũ vitam acerrimi hoſtis Etruſco ſermone ſcribere orſus tam impudenti, quàm aſtuto illudendi genere, ſacroſanctam rerum geſtarum fidem corruperit.

Latomi.

*Exoluis patriæ ſupremum Tegrime munus,*
*Illi dum veram conficis hiſtoriam.*
*Tam non eſt illi verè omnia ſcribere turpe,*
*Quàm tibi venalem non habuiſſe fidem.*

# Camillus Ghilinus Mediol.

CVIVS extat liber Exemplorum, florida per omnes ætates varietate periucundus, ac ipſo penè Valerio Maximo argumenti hilaritate feſtiuior. Ea rerum exempla diligenti, grauique ſtudio collegerat Baptiſta Fulgoſius, gentilium ſuorum perfidia Genuæ principatu deiectus: ſed quoniam Latinæ orationis facultas minime ſuppeteret, ea materno ſermone perſcripſerat, vt aliquanto poſt ab hoc Ghilino Latinè verterentur. Fuere qui exiſtimarent à Iacobo patre id opus longo vigiliarum labore compoſitum, vt quotam hæreditatis partem obueniſſe filio adoleſcenti, ſtudioſoque liberali quidem indulgentia beneuolentiſſimi patris, quum in eo eruditi ingenij certa indoles emineret, qua vel alieni operis oborta ſuſpicio præclarè diſcuti poſſe videretur. Erat enim Camillus in grauiſsimis legationum muneribus, ob induſtriam cum ſumma fide, prudentiaque coniunctam, diu verſatus: ita vt excitatæ fabulæ famam ridendo dilueret, & per vrbanè ſe ab hoc furti genere non ahhorrere fateretur, quando iure damnari non poſsit amore incenſus adoleſcens, ſi quid opulento patri arguta manu ſurripiat. Perijt in Sicilia apud Carolum Cæſarem Franciſci Sfortiæ Legatus, quum debellatis ad Tunetum Barbaris, Auguſtus Victor ad triumphum in Italiam reuerteretur.

Latomi.

*Argueris fœtum tibi ſuppoſuiſſe paternum:*
*Dicit Momorum quin tibi turba diem.*
*Nam quum patris eras hæres ex aſſe futurus,*
*Vſum etiam fructum præripuiſſe potes?*
*Nempe, ais, hoc gratũ eſt: nec parua eſt gratia Momis,*
*Scripta quòd alterius credi vtriuſque queant.*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ioannes Reuclinus Germanus.

HIC eſt ille Capnionis cognomento, è patria lingua in Græcam verſo, ne Latinè fumeus euaderet, Germanorum ætate noſtra clariſsimus, qui inuſitato fretus ingenio, Græcas ac Hebraicas, atque item Latinas literas in Germania pari felicitate propagauit, quum arcana Hebræorum confirmandis Chriſtianæ legis præſidijs in lucem proferret, effectricemque mirabilium operum Cabalæ diſciplinam apud valida, atque expedita ad perdiſcendum eius gentis ingenia profiteretur. Extat eius liber de Verbo mirifico, & de Cabalæ ſcientiæ placitis, eloquentia illuſtri ad Leonem Decimum perſcriptus. Circumferuntur etiam præter grauiores libros, quanquam ſuppreſſo nomine, ex eius officina obſcurorum virorum epiſtolæ, admirabili facetiarum lepore cōditæ, quibus ad excitandum riſum, cucullatorum Theologorum ineptiſsimè, atque ideo ridiculè Latina lingua ſcribentium ſtylus exprimitur. Vlciſcebatur enim infeſtam nomini ſuo turbam, iucundiſsimo ſatyræ illudentis genere, quum maligna cucullatorum conſpiratione tanquam Iudæis parum ęquus hoſtis: ac ex animo planè recutitus impietatis accuſaretur. Hic liber auidè coemptus, & euulgatus, adeò grauiter calumniatores eius ordinis percuſsit, vt coniurationis princeps Hoſtratus lætali dolore ſauciatus interierit: & reliqui æſtuantes à Leone ſuppliciter impetrarint, vt edicto diuendi, atque imprimi vetaretur: ſed edicti maieſtatem Reuclinus ſalſo ingenio ludificatus, ſecundum epiſtolarum volumen, tanquam ex titulo minimè vetitum, altero quidem aculeatius impreſſoribus tradidit, ita vt cucullati miſerè cum Hydra luctantes, animos in ea lite deſponderint. Hoſtrati autem tumulo hoc nobile carmen, Capnionis puer affixit.

*Hic iacet Hoſtratus, viuentem ferre patique*
*Quem potuère mali, non potuère boni.*
*Creſcite ab hoc taxi, creſcant aconita ſepulchro,*
*Auſus erat ſub eo, qui iacet, omne nefas.*

Latomi.

*Eſſes quòd patrio cognomine fumeus, hoſteis*
*Reddidit audenteis Capnio, credo, tuos:*
*Dum tibi deberi Fatis incendia credunt:*
*Illi non ſegnes quæ properata ſtruunt.*
*Quum potius ratio cognominis arguat iſtud,*
*Flamma quòd ipſorum nil niſi fumus erat.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Ioan. de Monte Regio Germ.

HVNC enim vnum admirabili ſolertia diuini ingenij, Aſtronomorum omnium qui hactenus floruerunt præſtantiſsimum veneramur: quum decimam ſphæram totius cœleſtis globi ſupremam, incluſaſque diurna rotatione rapientem, certiſsima ſupputatione ſibi & poſteris inuenerit: hac ipſa ædepol glorioſa ſapientiæ palma, Thalete, Eudoxo, Calipo, Ptolemæoque ipſo, tantæ ſcientiæ conditore, ac Alfragano, nobilior. Extant eius ſubtiliſsima Commentaria in Almageſtum Ptolomæi & Mathematicæ ratiocinationis exactus atque perutilis liber de Triangulis. Ab hac commendatione eruditi nominis creatus eſt à Xiſto Quarto Ratiſponenſis Epiſcopus, accituſque Romam, vt annum ex vetuſta intercalatione faſtis minimè reſpondentem, ad ſtatas ex curſu lunæ Paſchales cerimonias reuocaret. Quod confici poſſe videbatur, ſubductis ſemel aliquot diebus Martio menſi, qua vna ratione mille & quingentorum annorum exceſſus, in curſu ſideris non planè ſenſilis, toto demum cumulo deprehenſus, emendatiſsimè tolleretur. Sed graſſante in Vrbe peſtilentia Fato ſurreptus, quod maximè cupiebat, præſtare non potuit.

Brunonis Seleri.

*Inferior nullo doctrinæ laude priorum,*
*Doctus in aſtrorum cognitione fui.*
*Itala me tellus, & me Germania nouit,*
*Pannonis & ſtudium prædicat ora meum.*
*Duxit in has celebris primum Purbacchius artes*
*Ingenium magna dexteritate meum.*

Latomi.

*Extimuit, penitus nudatas Iuppiter ædeis,*
*Quum decima ſphæra cerneret eſſe ſuas.*
*Hoc homines, inquit, ſubmouimus hactenus orbe:*
*Ah, propè nunc noſtris prodimur in thalamis.*
*Et nemo ijs obſtat conatibus? intulit Hermes:*
*Authorem Parcæ ſed vetuêre mori.*
*Heu, ait, heu miſeros, qui ſic vlciſcimur hoſtem:*
*Vt ceſſet, Diuum protinus eſſe iube.*

# Ludouicus Viues Valentinus.

QVANQVAM hic ducta vxore apud Belgas liberis operam daret, ſacrarum tamen literarum ſtudia egregio digna ſacerdote complexus, adeò profecit, vt diui Auguſtini librum de Ciuitate Dei luculenta Commentatione adiecta, religioſè admodum illuſtrarit, quum publicè auctus ſtipendio liberales artes profiteretur, legendaque poſteris multa volumina perſcriberet. Nondum ſenex Fato functus

ctus

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

ctus eſt Brugis, quod eſt emporium Geſſoriaci litoris, proſequentibus magno luctu amiſsi præceptoris memoriam Belgis omnibus, ſed maximè ciuibus Hiſpanis: quòd eo doctiorem in Hiſpania ſupereſſe neminem faterentur.

## Conradi Lycoſthenis.

*H[illegible] gitu[illegible], ſubſiſte [illegible]iator,*
*Et preſſo pacis [illegible]ba precare gradu.*
*Quin etiam coſtum, violas, & thuris honores,*
*Viui da prompta debita dona manu.*
*Qui dum ſic verbis, rebusq́ exornat ad vngu[illegible]e,*
*Per non tentatas maxima quæqae vias*
*Noſtra ætas vincit veteres, atque omnibus illis*
*Viuem, quem contraponere poßit, habet.*

## Eiuſdem.

*Doctrinæ columen, decusq́ vitæ*
*Viuem ne tumulo hoc puta Viator*
*Condi, ſed tenues ſoli fauillas.*
*Nam non mors violenta, non edaces*
*Ignes, non ſeries vetuſta ſecli,*
*Non vires chalybis, licet potenti[illegible]*
*Non fluctus pel[illegible], licet ferocis,*
*[illegible]e vita po[illegible]ſſe Viuem,*
*Doctrinæ [illegible]um[illegible], [illegible]ecusq́ vit[illegible].*

## Latomi.

*Quò ſyngrammata, dic amice Viues*
*Tam multa accumulas? an vt perennem*
*Hoc tibi redimas labore vitam?*
*Quantum ergo placitis Deûm, Stygiq́*
*Iuratæ tribuis? perennitati*
*Nam reponere te ac tuos labores,*
*Teſte agnominis hoc tui vocablo*
*Omnes fulmine ſancière tacto.*
*An non id tribui cupis Deorum*
*Decreto, at merito tuo labori?*
*Quod quum non potuit Deos latere,*
*Credo gratuitum hoc iniſſe pactum,*
*Vt nolint ſiquidem, crepentq́ viues*
*Nullo munere, ſed tuo labore.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# Coſmus Pactius.

COSMVS Pactius ex amita Leonis Decimi genitus, nobili vir ingenio, elegantique doctrina præditus, quum eſſet Florentinus Archiepiſcopus, Maximum Tyrium Platonicæ ſectæ philoſophum è Græco in Latinum ſcitiſſimè vertit. Nec in eius ingenui muneris labore ceſſaturus videri poterat, tanquã virtutis & pietatis amore flagrantiſsimus, niſi importuna mors, vix dum Leone auunculo ad Pontificatum prouecto, & optimorum conſiliorum ſtudia, & paratæ purpuræ honorem intercepiſſet. Hæc ſubinde ſtudia Alexander germanus frater, diuerſo, nec vtique multum felici itinere ſecutus eſt. Ad ſcribẽdas enim tragœdias ingenium appulit, eruditum hercle, ſed aliquantò quàm cothurnatum poetam deceret aridius, quòd etiam & gracilitas ipſa totius habitus, & anguſtæ vocis exilitas ex viuentis fronte promitterent. Poeticam autem Ariſtotelis, non ineptè, vti difficilem, in Latinum verterat. Ob id tanquam ex concepta artis ratione tragœdijs incumbebat, verùm adeò intemperanter, vt Græcas & ex his præſertim Iphigeniam in Latinum pariter, & Etruſcum carmen vertendo, propriȩque inuentionis alias effundendo, quæ in theatris agerentur intẽtæ libidini vix modum imponeret: quanquam ab Etruſcis hiſtrionibus repudiarentur: qui exibilantis populi iudicium maximi inſtar periculi omnino fugiendum exiſtimabant, quod ea poemata verſibus conſtarent pede vno longioribus: ex noua ſcilicet, ac ob id inſolenti noſtris auribus Græcorum imitatione, quæ numero & modo prorſus infaceto tanquam enormis, nuſquam niſi Græciſſantibus arrideret. Iure itaque nouæ inuentionis exemplar, nemine imitante, apud ipſum authorem ſtetit atque conſenuit: vſque adeò difficile eſt, obſoletis nitorem, & nouis authoritatem feliciter attuliſſe.

### Latomi.

*Pactius effugit perituros Coſmus honores,*
*Vt ſempiternos ſumeret. Quid perdidit?*

IVBET poſtremò deſiderare quorundam externorum imagines, Germanorumq; præſertim, quum literæ non Latinæ modò cum pudore noſtro, ſed Græcæ & Hebraicæ in eorum terras Fatali commigratione tranſierint: ita vt eorum qui iam fato functi cæteris clariores euaſerunt, veras imagines à viuis, & pari laude florentibus, efflagitare non dubitem, quando id ab humaniſsimis, niſi violato Muſarum ſacramẽto, fruſtra expectari minimè poſsit. Quis enim niſi planè barbarus & impius, vel exiguam laudem ſine piaculo defunctis inuiderit, quanquam ex peculiari ſua ingenij fœcunditate nullo æuo perituris? Pertinet hercle in quota parte exoptatæ laudis ad producendam vitam, in albo atque ordine præcellentium hominum recenſeri, agnoſcique item ex vera oris effigie, oſtendique poſteris in perſtricta nec inutili editorum operum cenſura, vnde nouam nobilitatem veluti liberali, nec ſperata quadam adoptione ad cumulatum

decus

decus induerint. Emicuit dudum perilluſtris eruditio in Ioanne Oecolampadio, ſed profectò clarius & luminoſius illuxiſſet, niſi Chriſtianæ hoſtiæ ſacramentum repudiaſſet. Eadem ferè nouæ ſectæ libido Zuinglium in ſacris literis apud Heluetios clarum inceſsit. Contigit & honeſtiſsima laus ex ſtudio nobilium literarum Bilibaldo Nurimbergenſi, cuius extant nonnulla opera ex Gregorio Nazianzeno piè tranſlata, & Coſmographiæ liber ex Ptolemæo accuratius quàm antea traductus, & totius Germaniæ vrbium deſcriptiones, eruditam lucem obſcuris regionibus afferentes. Quis Vadiano ex ſancto Gallo Heluetiorum inſigni pago, nouæ atque vetuſtæ Coſmographiæ curioſus, gratias non aget? quum libellum Pomponij Melę perutili commentatione ex breui & obſcuro, magnum illuſtremque reddiderit? Miramur quoque diligentiam laboremque viro regia in aula conſpicuo longè honeſtiſsimũ, Cuſpiniani Viennenſis, à quo ciuili quadam facundia Germanorum & Byzantiorum Cęſarum Imperia, propinquitates, ſtemmata, mores, atque exitus referuntur. Viget apud nos eruditi nominis authoritate Copus Baſilienſis, ab exacta doctrina, felicique artis induſtria medicus, Franciſco Galliæ regi magnoperè repetita ſæpe memoria, deſideratus. Suſpicimus etiam ingenium Conradi Goclenij, vertendi Græca docendique facultate, apud Belgas magnoperè celebratum. Venerantur Iureconſulti noſtri Zaſium ex Harudum Conſtantia, humani iuris intelligentia, cum exactiſsimis ſcriptoribus conferendum. Floret adhuc apud nos prædulcis & grata memoria Beati Rhenani: ex eius enim ingenij liberalitate officinaque libraria, optimarum literarum magnas opes ad nos perueniſſe conſpicimus. Sunt etiam in celebri fama Camerarius, Græcæ atque Latinæ linguæ ita peritus, vt ſcribendo pernobilis Ciceronis imitator euaſerit: & Copernicus abſolutæ ſubtilitatis mathematicus: atque item Albertus Crantzius, qui Danorum & Sueuorum regna ad extremum borealem Oceanum, noſtris obſcura, facundiſsimè deſcripſit. Sed qua demum veteri ſodalitio digna pietate imaginem tuam, vt Elogio noſtro coronetur expectauerim, Vrſine Gaſpar Vindelice, paucis antè annis morte prępropera nobis erepte? nobiles enim poetas lęto carmine, hiſtoricos verò ſtyli grauitate ſuperabas: ſed in cumulo honeſtiſsimæ laudis, vti integer vitæ ſceleriſque purus, tranquilli animi probitate periculoſi officij munus feliciter adimplebas, quum Maximilianum ſummę indolis adoleſcentem, Ferdinandi Cęſaris deſignati filium, patrui fortuna digniſſimum, perfectis moribus ac literis erudires. Sed cur reliquos enumerare non deſino, poſtquam inanis ſpei votum, infinitus eruditorum numerus interrumpit? offertur enim lætiſsima ſeges ab ipſa mirabili Germanici cœli fœcunditate. Occulta hercle ſiderum commutatione eueniſſe arbitramur, ut illud cœlum, moleſtis Boreæ flatibus, frigore geluque damnatum, horrida dudum torpentiaque ingenia mollierit ac excitarit. Neque enim contenti ſua veteremilitiæ laude, qua Martium decus Romanis gentium victoribus ereptum, ſtabili diſciplinæ ſeueritate feliciter tuentur: ipſa etiam pacis ornamenta, literas, optimasque artes decoquenti Græciæ, ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abſtulerunt. Patrum ſiquidem noſtrorum memoria, architecti in primis, ac exinde pictores, ſtatuarij, ſculptores, mathematici, & peragutę manus artifices, ac item aquileges, ſeptempedarijque menſores, è Germania petebantur. Nec mirum quum antea inuſitatæ & portentoſæ inuentionis æreas formas excudendis li-



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

briſ, & formidanda bello ænea tormenta nobis attulerint. Sed hæc infeſti ſeculi fortuna, non vſq; adeò illis benigna mater, & nobis immitis extitit nouerca, vt nihil omnino ex priſtina hæreditate reliquerit. Tenemus enim adhuc (ſi fas eſt vel modeſtè gloriari, tota penè libertatis poſſeſsione ſpoliatis) ſyncerę & cōſtantis eloquētiæ munitam arcem, qua (ſi caſtis Muſis placet) ingenuus Romani candoris pudor, aduerſus externos inexpugnabilis conſeruatur atq; defenditur. In hac enim ſtatione ad perenne decus, optimo cuiq; ciui intentè vigilādum erit, vt Bembo, Sadoletoq; ſigniferis, quod reliquum eſt è tanta maiorum ſubſtantia, generosè tueamur: quāquam inani miſeriarum noſtrarum ſolatio, poſtquam non iniquo iure apud nos conuulſa libertas interijt: qua vna proculdubio altrice ſtudiorum, bonas artes excitari, propagariq; conſpicimus.

QVVM iam confecto priore volumine, quo fato functorū imagines continentur, ad ſecundum non inuita Minerua peruenerim (id enim de viuis erit) cenſuræ periculo grauius quidem, ſed ingeniorum illuſtrium religioſa commendatione iucundius, operæprecium exiſtimaui, eorum nomina profiteri, quo tabulæ pictæ in noſtro conclaui immortalibus dicato ſpectantur. Sit hæc enim delectę ſedis, & inſtituti operis certa nuncupatio, vt vel hinc viri elegantes, tāquam arridentis augurij læto nomine accepto ſuorum ingeniorum monumenta ad poſteritatem æterna proſpiciant, nec ideo grauatè morē gerere velint, honeſta mihi pariter ac ipſis & deniq; grata omnibus expetenti. Appello enim eos, qui literarum amore voluptates abdicarunt, & bona ſpe diuturnę laudis aluntur, num laudari vel à mediocribus poetis ineptum putent? Superbè quidem inſaniunt, ſi alienę liberalitatis munera faſtidiant. Idcirco mihi ſatis fuerit, Italos blandè ac humaniter admonuiſſe: neq; enim eos adeò auſteros, & illiberales fore crediderim, quin imagines ſcitè pictas ad Muſæum minimè tranſmittant. Quid enim inuerecundius, ne dicam agreſtius admitti poterit, quàm ab exemplo tot inſigniū virorum omnino diſceſsiſſe, qui hoc eruditę benignitatis officiū lętiſsimè præſtiterūt? Quamobrē annotata nomina ſubdidimus, vt qui abſunt, certam ſedē benignè ſibi relictam intelligant: ſi in hac florida ac immortali corona, conſpici decorum exiſtimarint. His equidem ingenuis luſibus noſtris primus vigiliarum ſuarum fructus prædulci libatione deguſtabunt. Quid enim viuenti, ac vtique de ingenij virtute benemerito beatius accidere poteſt, quàm repræſentata alieni iudicij teſtificatione, gloriam præſentire? Quid porrò lætius atque iucundius, quàm intereſſe poſteritati ſuæ, & denique Fatis inuitis mortē nō timere? quam nemo niſi anxius ante ipſum inuidiæ laceſſentis euentum non timuit.

Nomina eorum qui adhuc viuunt & præclara fœcundi ingenij gloria perfruuntur, hæc ſunt. Imagines autem eo ſeriatim ordine ſedem obtinent, vt dignitatem omnem, vel fortunæ vel generis, ipſe vnus ætatis honos antecedat.

NOMI-

## NOMINA EORVM QVI IN TAbulis habentur.

PETRVS BEMBVS CARDINALIS.
BAPTISTA ÆGNATIVS.
IACOBVS SADOLETVS CARDINALIS.
GEORGIVS TRISSINVS.
HIERONYMVS FRACASTORIVS.
HIERONYMVS VIDA EPISCOPVS ALBANVS.
IOANNES PIERIVS VALERIANVS.
ROMVLVS AMASÆVS.
ANDREAS ALCIATVS.
MARCVS ANTONIVS FLAMINIVS.
PHILIPPVS MELANTHON.
IANVS VITALIS.
REGINALDVS POLVS CARDINALIS.
DANIEL BARBARVS.
ANTONIVS MIRANDVLA.
PHILANDER GALLVS.
HONORATVS FASITELLVS.
BASILIVS ZANCHIVS.

Sed qua ſpe alienæ benignitatis munus expectauerim, quum hæc noſtra cupiditas ad externorum imagines extendatur, niſi viri nobiles adiutent, honeſtisque votis arrideant? Nulla enim res eſt, vel non planè ardua, quæ illuſtri patrocinio non indigeat, vt rectè matureque perfici ac impetrari poſsit. Rogabo itaque veteres patronos, in prouincijs dignitate atque opibus præcellentes, ſicvt eos etiam piè obteſter per communia Muſarum ſacra, vt hoc officium expeditè ac liberaliter præſtare velint. Quid enim non præſtabunt ſacrati Proceres, qui ſe alumnos amatoresque Muſarum profeſsi, nunquam veræ gloriæ nomen contempſerunt? ita vt vel ab vltima Sarmatia, qua Latinæ linguæ ſepta, Roxolanorum niuibus terminantur, mihi minimè defuturum ſperem Ioannem Dantiſcũ Varmienſem Epiſcopum, qui multis legationum functus honoribus, & poetica lauro coronatus, ſuæ gentis nobilitatem ad eandem laudem accendit, ad quã præclarè aſpirant Philippus Padneuius, Martinusque Cromerus? Nec in hoc ædepol erudito munere collocando, ſuſpensè cunctabitur generoſus ille Muſarum hoſpes Otho Truchſes, Germaniæ decus, & ſacri Senatus ornamentum: quum eius explorata liberalitas neque vſu conſeneſcat, neq; præterita exiſtimatione ſatietur, nec aliud quicquam niſi extra inuidiam poſitum perenneq́ue reſpiciat. Nec id hercle mirum, poſtquam ille alioqui multis importunus maturatæ purpuræ ſplendor, nec perſtrinxerit oculos, nec memoriæ neruos eliſerit, nec quicquam de ſyncero nobiliq; pudore vel leuiter inumbrarit. Patefecit enim innatæ virtutis ſtudia, in hoc dudum apud Vangiones conuentu longè grauiſsimo, quum ſumma authoritate præſes, ideoq; Reipub. cauſa vehementer occupatus, omnes numeros perfectæ virtutis expreſſerit: ita vt ab eo iam non paucos quidem, ſed ex feraci ingeniorum Germania, integram per imagines lectiſsimo



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

rum virorum cohortem expectem, in qua inter tantos Græcorum authorum interpretes, diuinarumque rerum ſcriptores inclytum poetam Georgium Logum ſodalem meum, ſi ita fas eſt, cum laurea ſigniferum exoptarim. Nec Thomam quoque Nadaſtum, qui vnus in Pannonia, pari ſtudio Martis & Palladis antiquum decus tuetur, quenquam omnino prætermiſſurum ex his arbitror, quos inteſtini ac externi belli calamitas reliquos fecit. Iampridem enim amiſimus ſacrati ordinis Antiſtites literarum, atque virtutis ſtudio præcellentes Ioannem Pannonium æterno poemate edito ſtabili fama commendatum, & Philippum Moræum Strigonienſem Mugaciana acie à Barbaris interfectum: & quos nuper non ſera dies nobis eripuit veteres amicos, pietate ac altitudine animi, Latinaque facundia illuſtres, dum tota Europa maximas legationes obirent: Stephanum, inquam, Brodericum Vaccienſem, Francapanem Agrienſem, & Statilium Albæ Iuliæ Dacorum ſacerdotio inſignem. Sed florentiſsimi paulò antè Regni profectò miſeret, tanquam ſubacti, ac in fœda ſeruitute planè morientis, cum in eo egregia illa, ideoque non temerè formidata Barbaris, veterum militum ſoboles interierit, extincto nimirum Mathia rege, cuius ſummæ virtuti nuſquam fortuna defuit, pudore ingentis animi uicta, ſcilicet vt mox indignata imbelles firmiſsimi regni dominos, vt ſuo more inſtabilis non iniquo iure rebellaret. Hæc eadem pari incurſu Dalmatas afflixit, apud quos valida ad capeſſendam ex literarum ſtudijs laudem, hac ætate ingenia floruerunt: ſed ab aſsiduis Barbarorũ incurſionibus exturbati vetere agro, ac in extremas patrij litoris margines compulſi, tanquam de retinenda libertate deſperantes, armis literas commutaſſe videri poſſunt: ſic vt nemo dignus Elogio compareat, niſi in lucem ſtudiosè producat ciues ſuos Tranquillus Andronicus præclarus Ciceronis æmulator, dum grauiſsimarum actionum ac Othomanicæ legationis, obſcurorumque nobis itinerum Commentaria perſcribit. Belgarum porrò ingenia mihi hercle diligenter excudet, & bona fide recenſebit, oraque delectorum, ni fallor erudite picta benignè largietur Antonius Perrenotus Atrebatenſium Antiſtes, modò ei adeò grauiter maximis officijs occupato, hæc ardens conficiendæ publicæ pacis cura, excolendis Muſis otium relinquat, quod certè neceſſario ſomno ſubtracturum crediderim, quum iam pondera conſiliorum ingentium ex ſinu Cæſaris, nimia planè vel importuna fatiſcentis ſenis patris humeris piè ſubeundo gnauiter excipiat. Sed valebit opinor Eraſmi viri ſummi præceptoriſque memoria, quum diſcipulorum eius inſignis globus paſsim occurreret Petro Nannio duce, quo optimarum literarum profeſſore, Louanienſium academia gloriatur. Qua in re ſe monitorem occupato Perrenoto, facilè præſtabit Cornelius Sceperus eruditi iudicij pondere, & in tantis legationibus ac illuſtri totius Europæ peregrinatione celebratus. At non hæc quoque ſperauerim ex opulenta Gallia, quæ variæ & inconditæ doctrinæ aceruos aliquandiu mirata, nunc primum quid ſit illud eximium in literis, & perilluſtre decus intelligit, repudiataque barbarie, ita Latinæ orationis puritate delectatur, vt ſi quid Manes omnino ſentiunt, Budæum pariter, ac Eraſmum miſerè pudeat, adeò agreſti & ſenticoſa via laudem vigilijs parem omnino quæſiuiſſe? Aſpirabit vtique nobili voto luculenter Ioannes Bellaius, præclaro vetuſtæ familiæ, ac inſitæ virtutis nomine Pariſiorum Antiſtes, & bis merita purpura Senator ampliſsimus.

Quid

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Quid enim amico veteri, erudita præſertim, ideoque minimi ſumptus munera cupienti non tribuet? qui perenni ſtudio Græcis atque Latinis Muſis ſacra facit: qui ingenia fouet, productaque in regiam eruditi principis liberalitate, protinus exornanda in luce conſtituit? Huic igitur non immeritò viri doctiſsimi morem gerent, benigneque docta ora pictoribus præbebunt, ipſeque ante alios Perionius, vel religionis amore ſacratis incluſus ſeptis, qui Ariſtotelem Ciceronis ore loquentem fecit, dum Strebæum pari æmulatione conſpicuum, glorioſo certamine ſuperare contendit. Quid non tribuet ſodali Daneſius, qui Budæi præceptoris imaginem huc vſque tranſmiſit, vir hercle ſumma eruditione Romanoque iudicio inſignis, à quo propediem abſolutæ felicitatis partum expectamus? Nec puto Lazarum Baiphium, libris de re Veſtiaria Naualique percelebrem, & Gulielmum Pellicerium explicato totius rei herbariæ negocio, publicæ vtilitati conſulentem, quicquam vetere amicitia indignum admiſſuros. Nec deſiderio meo prorſus illudet ipſe Caſtellanus, præcellentis doctrinæ meritò perpetuus comes aſcitus regi, v. inter molliſsima cœnæ tempora rerum omniũ origines, & euentus infinitæ regis memoriæ recondenda repræſentet. Conſequentur & hos Tuſanus, in rei literariæ ſubſtantia Budæi præceptoris aſtutus hæres, quum id tantùm adierit, quod certum & ſalubre videbatur, totam autem parum comptæ elocutionis intemperiem effugerit. Nec ab his veſtigijs longè aberunt poetæ duo planè ſuaues & teneri, Salmonius Macrinus, Nicolauſque Borbonius, & Regius, qui pedeſtri oratione poetarum honoribus adæquatur. Poſtremò & ipſe Vatablus, quanquam in celeberrimo gymnaſio plenis ſubſellijs ſuperbus, ſuam vel Hebraica duritie non planè faceti oris effigiem denegabit. Sed ad quem modò confugiam, qui in Hiſpania præcellentium ingeniorum delectum habeat, ac eleganti viro dignum huius non indecore liberalitatis officium præſtet? Inter multos hercle, qui ſeuerioribus diuinarum rerum ac humanarum ſtudijs dediti, tanquam Reipublicæ, priuatæque maximè vtiles iudicantur, rari occurrunt elegantium literarum ornamentis inſignes: quòd hic omnis Latinè ſcribendi lepòre parum grauibus inani ambitione quæſitus, nulla omnino ſubſidia ſerijs facultatibus, ſed impedimenta nonnunquam afferre videatur. Qua de cauſa quum vigente adhuc ſeniorum opinione, ipſi etiam totius Hiſpaniæ proceres, hæc ſtudia tanquam importuna militiæ penitus abdicarent: hic excellens cultus, quo diſciplinæ omnes exornantur, aliquantò ſerius quàm alias in terras, in Hiſpaniam peruenerit: ita vt hæc terra alioqui rerum omnium ferax, acerrimorumque in primis, & ſublimium ingeniorum altrix, quæ tot nobiles æternoſque poetas ac oratores Romanæ ciuitati quondam inſeruit, hoc toto, quod ſuſpicimus illuſtris eloquentiæ honore, penitus orbata cenſeri poſsit. Agnouère tamen nonnulli maiorum incuriam, Nebriſſa monitore, ingeniaque ſua ad hanc laudem feliciter extulerunt, in queis nuper emicuit Garcias Laſſus, Horatiana ſuauitate odas ſcribere ſolitus: ſed generosè ad faſtigium euadentem, dum alteram militiæ laudem ardenter appetit, mors acerba eluſit: & caſu quidem ignobili, quum ad aquas Sextias ex turricula ab agreſtibus lapide caput ictus, ſpectante Cæſare concidiſſet. Sed hodie procul dubio Ioannes Sepulueda Cordubenſis, ipſam eximiæ laudis arcem obtinet, qui Græcę peritus linguæ, & ſcientiarum propè omnium validis inſtructus præſidijs, dum aſsiduè, atque ideo feliciter ſtylum exercet, eloquentiſsimus euadit.



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Huic autem proximum accedere audimus Martinum Silicæum Carthaginenſem Epiſcopum, qui lectiſsimis moribus ac literis, viriliq; ingenio & caſta facundia, dum Philippum Cæſaris filium perſanctè & ſolerter edocet, optimum Principem ad paternum decus, & ad regni felicitatem inſtituit. Reliqua porrò ingenia quæ fœcunditatis egregiæ aut maturæ frugis ſpecimen præbent, indicaturum ſcitè atque fideliter crediderim Franciſcum Mendocium Cardinalem, quem accipiendis de manu ſummi Pontificis ſolemnibus Senatoriæ dignitatis ornamentis propediem expectamus. Hic enim ſupra generis antiquum decus, ampliſsimam ex optimis literis laudem ſpectat, potiturq; iam parta ex his ſtudijs inſigni gloria, quæ nixa veræ virtutis radicibus nunquam defloreſcet. Ea porrò ingenia, quæ vltima terrarum Luſitania ad Oceanum nobis abſcondit, à Michaele Syluio Cardinale non diu quidem expectabimus. is enim à varia doctrina poeta cultiſsimus, ac omnis elegantiæ iucundus arbiter, ſtudia noſtra vehementer amat & laudat, patrij decoris planè cupidus, ſupra reliquos animoſæ gentis honores, hoc literatæ laudis nomen, tanquam non poſtremæ, ſi nō ſummæ gloriæ minimè contemnit. At quid poſtremò ab vltima Britannia expectauerim? niſi lugubres fortaſſe imagines? quum ibi optimi paulò ante Regis importuna crudelitas, æternæ laudis proceres excisa planè virtute ſuſtulerit.

FINIS.

# IN IOVIVM.

*Poſtquàm relegit omnium*
*Prouinciarum Iouius intimos lares,*
*Nec inſtituta ſubſtitit*
*Via, vel alto territus montis iugo,*
*Hinc diuidentis Italos,*
*Illinc Iberos bellicoſa Gallia,*
*Vel æſtuoſis Adriæ*
*Illinc procellis, hinc profundis fluctibus*
*Turbatus Inferi maris:*
*Sed inter acreis euagatus milites*
*Interq; rauca cornua,*
*Et fuſa victorum hinc, & hinc cadauera*
*Non otioſa indagine*
*Tot inde retulit libros annalium:*
*Mox vtriuſque littoris*
*Ora remenſa, diligens felicibus*
*Piſcator inde retibus,*
*Auara quicquid ante Neptuni manus*
*Cælauerat nobis, tulit.*
*Nunc inquietus patre deductus Ioue,*

*Animusq;*

*Animuſque terreſtribus*
*Non rebus explendus, velut celeri Noto,*
*Elatus vbi cœleſtibus*
*Explere ſeſe latius poteſt:*
*En aureo promit penu,*
*Quantum ſupremo Iuppiter manu polo*
*Pulchri recondit: & quia*
*Nunquam moueri cœlites queunt loco,*
*Vt ſuſtulit Fati dies,*
*Veras recepit ſingulorum imagines:*
*Quas dedicatas Apollini,*
*Muſiſque Larium colentibus lacum,*
*Beata continet domus.*
*Has ſi videre longa te vetat via,*
*Aut morbus, aut ſenium graue,*
*Præſens libellus indicabit, aureo*
*Quouis monili carior.*
*Vos hinc remordet illa ſi cura, arduum*
*Tentate cœlum, poſteri*
*Quod ſumma virtus ſola dat recludier.*

# PAVLO IOVIO EPISCOPO NVCERINO, MVSARVM CVPIDINI

Ioannes Latomus.



SED quid, Paule Ioui, tibi rependam?
*Doctus non ego: nec tuo repoſtus,*
*Vt hoc nomine debeam, in theatro:*
*Quod neque ambio, nec tamen recuſem:*
*Quod nemo faceret, quis hoc videri*
*Non loco, niſi ruſticus, præoptet?*
*Grateis, Paule, tamen tibi rependo,*
*Communis meriti, ac honoris ergò:*
*Quòd doctos habeam loco parentum,*
*Scriptores venerer libenter omneis*

*Candore*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Candore ingenuo fideq́ ſumma,*
*Et quanto ingenio licet, niſi illi,*
*Aut ſint planè athei, aut palàm nefanda,*
*Quæ non ſcribere præſtitiſſet, edant.*
*Horum nomine, Maximo, optimoq́,*
*Huic Paulo Iouio, hoſpiti benigno*
*Muſarum, & Charitum pio parenti,*
*Doctorumq́ probiſſimo patrono,*
*Tantas accumulo, aggeroq́ grateis*
*Tantas & toties manu, ſtyloq́:*
*Quantas & quoties pro agris receptis*
*Et caris pro ouibus Deo refudit*
*Suo Vergilius: vel ipſe Naſò*
*Læto pectore reddidiſſet, idem*
*Si de Tartareis locis Getarum*
*Ad caram patriam rediſſet exul.*
*Nam quod pulchrius, hoſpitaliusq́,*
*Adde ſplendidius benigniusq́*
*Vllis in regionibus, vel annis,*
*Aut vllo abs homine, vtlibet potente*
*Factum legimus? at caret profectò*
*Exemplo Iouij profuſus ardor.*
*Quid? Si quis Phalaris, Vitelliuſue,*
*Aut latro impius, aut rapax daniſta*
*Conatus ſimile huic fuiſſet? an non*
*Vitæ ille maculam eluiſſet omnem?*
*Et doctos ſtudio hoc ſuo benigno*
*Ad perenne decus ſibi obligaſſet?*
*At quid nos Iouio rependere, æquum eſt?*
*Qui vir optimus, integerrimusq́,*
*Perque omneis adeò politus artes,*
*Quiq́ arteis adeò poliuit omneis,*
*Vt vix inuenias parem, aut ſecundum:*
*Non parcit ſibi, ſumptibusq́ tantùm,*
*Vt hîc ſaltem habitent benè ac honeſtè,*
*Quotquot non niſi commodè hoſpitari*
*(Sed quò deueniant, quis approbabit?)*
*Cenſura Iouij pia merentur,*
*Ob illa ingenij beata dona.*
*Non illi titulos perenniores?*
*An non carmina perpolitiora?*
*Non encomia, debitosq́ honores?*
*Non grateis referemus auctiores?*
*Non laudes cumulatius canemus?*
*Laus eſt, Magne Ioui, tua hæc perennis,*
*Et tua eſt pietas peculiaris*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Hæc, quòd non modò vindices diſertos*
*Aſſerasq́; viros, ita vt palàm auſint*
*Morti oppedere, nec timere morte*
*Blattas ac tineas voraciores:*
*Sed quòd inſuper id, quod eſt caducum*
*Et mutabile maximè, puta oris*
*Dices effigiem perennitati:*
*Et quales fuerint velis videri,*
*Quos iam vix meminit fuiſſe quiſquam.*
*Laus hæc eſt Ioui peculiaris.*
*In mortem hactenus expedimus omnes*
*Os, denteis, calamum, manus, et vngueis,*
*Nos ſua quoties rapacitate,*
*Tollenda optima quæque prima, lædit:*
*Quid? vel vnius æſtimauit aſsis,*
*Tum conuitia, tum malos Iambos,*
*Verborumq́; malorum onuſta plauſtra?*
*Quin & reddimus proteruiorem*
*Nunc, ſed nunc fremit, ingemit, doletq́;,*
*Quòd ne corporibus quidem necandis*
*Sit ſatis ſemel expediſſe telum.*
*Sic Ioui bone, ſic iô triumphe.*
*Huic morti inuideamus vſque, & vſque,*
*Magno quiſque animo, inuidenter omnes:*
*De qua nunc retulit nouum triumphum*
*Hic noſter Iouius. Qui & ipſe quamuis*
*Quaſdam illi exuuias ſuas reliquit,*
*Quæ Deûm comitem minus decerent,*
*Et cœli nimis hoſpitem grauarent,*
*Veſpillone quidem eſt abuſus illa,*
*Quòd ſi quis Iouium velit videre,*
*Muſæum petat. eccum, in hac corona*
*Cum Phœbo & ſocijs vides Camœnis*
*Scribentem ſimul, loquentem*
*Quod non vlla ſatis ſtupebit ætas,*
*Quod tum afficiet ſtupore cœlum,*
*Quum curſum remorabitur dierum,*
*Et iam præteritos vehet recenteis,*
*Quid tandem illius, obſecro peremit?*
*Sed vt te iubeam, Ioui, valere,*
*Quo te nomine (ſi nouum neceſſe eſt)*
*Appellem, dubito. Iouis? nec illud*
*Auguſtum ſatis eſt, licet propinquum.*
*Phæbi, aut Mercurij? meres vtrunque.*
*Es iuncto ſimul aſt vtroque maior.*
*Sed quid te vocitem? Patrem deorum?*



Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

# INDEX POETARVM NOSTRAE AETATIS ILLVSTRIVM, QVORVM EPIGRAMMATA, PRÆTER NOVA Ioannis Latomi Bergami in ſingula doctorum virorum Elogia, hoc in opere variè diſperſa continentur.

## ACTII SYNCERI.

*De Andrea Matt. Aquauio duo. pag.* 137
*Ioanne Cotta.* 108
*Baptiſta Platina.* 35
*Pogio Florentino.* 22

Aldi Manutij.

*De Hercule Strozza.* 104

Andreæ Dactij.

*De Marſilio Ficino.* 89
*Michaele Marulo duo.* 53
*Petro Crinito.* 109

Antonij Amiternini.

*De Marco Muſuro Cretenſe.* 58

Antonij Panormitæ.

*De ſeipſo.* 24

Antonij Seronis.

*De Benedicto Iouio.* 195

Antonij Vaccæ.

*De Baptiſta Pio.* 188
*Nicolao Machiauello.* 163

Aurelij Augurelli.

*De ſe ipſo.* 130

Baſilij Zanchij.

*De Actio Syncero.* 150
*Andrea Naugerio.* 146
*Gabriele Altilio.* 207
*Iouiano Pontano.* 95

Bernardi Bembi.

*De Danthe Aldigerio.* 11

Bloſij Palladij.

*De Marco Antonio Caſanoua.* 143

Boccarini Aretini.

*De Bernardo Bibienna.* 124

Brunonis Seileri.

*De Ioanne Regiomontano.* 218

Cæſaris Scaligeri.

*De Angelo Politiano.* 75
*Cælio Rodigio.* 230
*Iacobo Fabro Stapulenſe.* 204
*Ioanne Cotta.* 108
*Marco Antonio Turriano.* 115

Caroli Aretini.

*De Leonardo Aretino.* 20

Claudij Roſeletti.

*De Chriſtophoro Longolio duo.* 129

Cælij Calcagnini.

*De Cælio Rhodigio.* 203
*Hieronymo Aleandro* 182
*Iouiano Pontano.* 95
*Ludouico Arioſto.* 158

Colæ Bruni.

*De Antonio Tibaldæo.* 174

Conradi Lycoſthenis.

*De Ludouico Viue duo.* 219

Croti.

*De Rutilio.* 178

Cynthij Gyraldi.

*De Cælio Calcagnino.* 210

Danthis Aldigerij.

*De ſeipſo.* 11

Dardani Parmenſis.

*De Iaſone Mayno.* 126

Dionyſij Caronij.

*De Ioanne Ruellio.* 173

Domitij Palladij.

*De Pomponio Læto.* 76

Eliſij Calentij.

*De Antonio Panhormita.* 24
*De ſeipſo duo.* 91

Ferdinandi Balamij.

*De Alberto Magno.* 8
*Alberto Pio Carporum principe.* 155
*Pandulpho Collenucio.* 83

Flaminij.

*De Actio Syncero.* 150
*Ardea Naugerio duo.* 145
*Auguſtino Nipho.* 172
*Balthaſſare Caſtellione duo.* 144
*Gaſpare Contareno duo.* 185
*Hieronymo Sauonarola.* 83
*Ioanne Cotta.* 108
*Iouiano Pontano.* 96
*Lampridio Cremonenſe.* 183
*Mario Molſa.* 182

Floridi Sabini.

*De Antiocho Tiberto.* 108

Franchini Conſentini.

*De Laurentio Valla.* 26
*Mario Molſa.* 182

Fran

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Petri Grauinæ.

*De Actio Syncero* 150

Pierij Valeriani.

*De Hermolao Barbaro.* 70

*Iano Parrhaſio.* 108

*Iouiano Pontano.* 96

*Michaele Marullo.* 53

*Theodoro Gaza.* 49

Platinæ.

*De Antonio Campano.* 40

*De ſeipſo.* 33

Pogij Florentini.

*De Emanuele Chryſolora.* 42

Politiani.

*De Antonio Campano.* 40

*Domitio Chalderino duo.* 38

*Donato Acciaiolo.* 29

*Marſilio Ficino.* 89

*Theodoro Gaza duo.* 49

Pontani.

*De Antonio Panhormita.* 24

*Gabriele Altilio.* 206

*Gregorio Tiphernate.* 201

*Michaele Marullo.* 53

*Pomponio Læto.* 79

*Bartholomæo Coclite.* 107

*Marullo Tarchaniota.* 53

*Theodora Gaza.* 46

Sproſperi Spiritei.

*De Platina.* 35

Quintiani Stoæ.

*De Philippo Beraldo.* 102

Sabellici.

*De ſeipſo.* 99

Salmonij Macrini.

*De Gulielmo Budæo.* 180

Simonis Vallamberti.

*De Eraſmo Roterodamo.* 176

*Gulielmo Budæo.* 181

*Iacobo Fabro, Stapulenſe* 164

*Iouiano Pontano.* 96

Spinelli.

*De Ambroſio Monacho Camaldulenſe.* 28

Stephani Doleti.

*De Alberto Pio Carpenſe,* 156

*Chriſtophoro Longolio.* 128

Stephani Dulcini.

*De Lancino Curtio.* 116

Theodori Bezæ.

*De Gulielmo Budæo duo.* 180

Tibaldæi.

*De Actio Syncero.* 150

*Guidone Soſthumo.* 131

*Hercule Strozza.* 105

*Ioanne Laſcare.* 60

*Michaele Marullo.* 54

Tryphonis.

*De Mario Molſa.* 181

Veſpaſiani Strozzæ.

*De Guarino Veronenſi duo.* 196

Viti Coppi Seleſtadien.

*De Eraſmo Roterodamo.* 160

*FINIS.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

*Sed iam Iuppiter hoc præoccupauit.*
*Muſarum Venerem? ſat iſtud aptum,*
*Et quod prætulero: at nihil virile eſt.*
*Sed cur non puerum marem locamus,*
*Muſarumq́ Cupidinem vocemus?*
*Euge, illud lepidè, bene ac venuſtè:*
*Muſarumq́ Cupidinem vocemus.*
*Nam quis aptius, efficaciusq́,*
*Tardas exacuet, trahetq́ menteis,*
*Vt credant lepidas, amentq́ Muſas,*
*Et ſic depereant furore multo?*
*Vt vel de media ſubinde nocte*
*Confeſſum veniant ſuos amores,*
*Ad fores vigilent licet repulſi,*
*Ab ijs non abeant niſi intromiſſi?*
*Atque ipſum furere arbitrentur eſſe*
*Sat magnum ſibi præmium laboris?*
*Qui flammas melius propaget iſtas,*
*Quàm (Muſæ inuitis) Cupido veſter?*
*Atqui id quod facies, rogas, veneno?*
*Non vllo iaculoúe, proculúe:*
*At quodam ingenioſo honoris œſtro,*
*Quo quiſque immodico feretur æſtu*
*Ad illa optima, Literas & Arteis?*
*Locum ſcilicet vt decentiorem in*
*Muſæo referat: quod eſt laboris,*
*Honor perpetuus, ſuprema meta.*
*At tu Magne Ioui vale perenne,*
*Muſarumq́ vale, vale Cupido,*
*Qui nobis aperis nouam hanc arenam.*

Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute

Franciſci Petrarcæ. *De ſeipſo.* 13

Georgij Anſelmi.

*De Mario Grapaldo.* 119

Germani Brixij.

*De Chriſtophoro Longolio.* 128

Gilberti Cognati.

*De ~~Eraſmo Roterodamo~~.* 176

Guidonis Poſthumi.

*De Bartholomæo Coclite.* 107

Herculis Strozzæ.

*De Angelo Politiano.* 75

*Ioanne Pico Mirandulano duo.* 77

Hermolai Barbari.

*De Rodulpho Agricola.* 62

Hieronymi Aleandri. *De ſeipſo.* 182

Honorati Faſiteli.

*De Franciſco Arſillo.* 179

*Paulo Iouio.* 227

Iacobi Cardinal. Papien. *De ſeipſo* 36

Iacobi Exerichi.

*De Thoma Moro.* 167

Iacobi Guidij.

*De Mapheo Vegio.* 196

Iani Vitalis.

*De Aegidio Cardinali.* 160

*Alberto Magno.* 8

*Alexandro Achillino.* 113

*Antonio Panhormita* 25

*Balthaſſare Caſtellioneo.* 144

*Beſſarione Niceno.* 45

*Callimacho Philippo.* 81

*Camillo Querno Archipoeta.* 154

*Eraſmo Roterodamo.* 176

*Flauio Blondo.* 28. *Franciſco Arſillo.* 179

*Galeotto Martio.* 90

*Gaſpare Contareno.* 185

*Guidone Poſthumo.* 131

*Gulielmo Budæo.* 180

*Hieronymo Aleandro.* 182

*Ioanne Scoto.* 9

*Laurentio Medice.* 66

*Leone Baptiſta Alberto.* 64

*Mario Grapaldo.* 119. *Petro Grauina.* 139

*Petro Pomponatio.* 135

*Petro Leonio.* 68

*Philippo Decio,* 165. *Rutilio.* 178

*Thoma Linacro* 120. *Thoma Moro.* 167

Iaſonis Landi.

*De Iaſone Mayno.* 126

Ioannis Baptiſtæ Poſſeuini.

*De Benedicto Iouio.* 195

*Henrico Cornelio Agrippa.* 187

Ioannis Latomi Bergani.

In ſingula doctorum virorum Elogia Tumuli & Epigrammata.

*De Paulo Iouio Muſarum Cupidine.* 228

Ioannis Morelli.

*De Eraſmo Roterodamo.* 177

Ioannis Secundi Hagienſis.

*De Eraſmo Roterodamo.* 175

*Thoma Moro* 167

Iulij Gonzagæ.

*De Alberto Pio Carporum Principe.* 155

Lancinij Curtij.

*De Georgio Merula.* 71

Leonardi Marſi.

*De Baptiſta Pio.* 188

Lilij Gyraldi.

*De Cælio Calcagnino.* 209

Ludouici Arioſti. *De ſeipſo.* 158

Maiorani Salentini.

*De Beſſarione Niceno Cardinali.* 44

*Ioanne Argyropylo.* 51. *Ioanne Laſcare* 60

Marcelli Pallonij.

De *Andrea Matthæo Aquauiuio.* 138

Michaelis Marulli.

De *Demetrio Chalcondyle.* 56

*Ioanne Pico Mirandula.* 77

*Theodoro Gaza.* 49

Myrtei.

De *Alberto Pighio Campenſe.* 193

*Ambroſio Monacho Camaldulenſe.* 23

*Andrea Marone.* 136

*Antonio Nebriſſenſe.* 122

*Aurelio Augurello.* 122

*Baptiſta Mantuano.* 118, *Bartholo.* 16

*Franciſco Philelpho.* 31

*Franciſco Mirandula.* 161

*Hieronymo Donato.* 111

*Ioanne Boccacio,* 41

*Ioanne Mario Catanæo.* 148

*Iouiano Pontano.* 96

*Lampridio Cremonenſe.* 183

*Laurentio Laurentiano.* 100

*Laurentio Medice.* 66

*Nicolao Perotto.* 33. *Nicolao Leoniceno.* 133

*Petro Crinito.* 109. *Philippo Beroaldo.* 102

*Pogio Florentino.* 22

*Pomponio Gaurico.* 141. *Lampridio.* 183

Nicolai Grudij.

De *Actio Syncero.* 151

Nicolai Archij.

*De M. Antonio Turriano.* 115

Petri Bembi.

*De actio Syncero.* 151. *Iacobo Sanazario.* 150.

*Angelo Politiano.* 75

*Chriſtophoro Longolio.* 128

*Hercule Strozza.* 105. *Leonico Tomæo.* 171

Petri Criniti.

De *Angelo Politiano duo.* 74

Petri Curſij.

De *Ioanne Manardo.* 156. *Rutilio.* 178


Digital copy for study purpose only. © The Warburg Institute